ſeorſum in vtraq; orbium inſula. Sed circa mediam inſulam omnium maximam præcipuus erat hippodromus. Cuius latitudo ſtadium, longitudo per omnem circulũ porrigebatur ad equeſtre certamen. Circa hippodromum vtrinq; erant ſtipatorum cuſtodúmq; diſpoſitæ domus. Fidis quidem militibus intra ipſum anguſtiorem circuitum arci quàm proximum, commiſſa cuſtodia: his autem qui cæteris omnibus fide maximè præſtabant, in arce ipſa, circa reges habitationes cõceſſæ. Naualia prętereà triremibus, omnibúſque ad eas pertinentibus inſtrumentis referta, ſinguláq; ſufficienter expoſita. Atq; hic erat regiarum ædium apparatus. Tranſeunti verò portus qui foris tres erant exteriores, apparebat circunquaque murus à mari incipiens valli inſtar, & ſtadiis quinquaginta ab ampliſſimo circulo ac portu vndique diſtans, qui ad os foueæ, quod verſus mare erat, redibat. Totum verò id colebatur, & reliquum quidem ſpatium multis & frequentibus ædificiis abundabat, ſinus autem ipſe portúſque latiſſimus plenus erat nauibus, mercatoribúſque vndique confluentibus. Vbi ob frequentem turbam die noctéque clamor continuus ac ſtrepitus ingens audiebatur. Atque ita de vrbis & antiquæ ſedis diſpoſitione, vt olim traditum eſt, in præſentia iam retulimus. Deinceps verò commemorare conabimur quæ natura, quive cultus reliquæ regionis extiterit. Principiò locus omnis editus admodùm, iuxta mare abruptus. Regio verò circa vrbem campeſtris omnis, ambiens quidẽ vrbem, ambita verò ipſa mõtibus à mari ſurgentibus facilis & æquabilis. Eius longitudo tota in alteram partem erat ſtadiorum ter mille: a medio verò ſuprà, vſque ad mare milliũ duorum. Situs autem inſulæ ad auſtrum vergebat, ab excelſioribus locis Boreæ expoſitus. Montes eius frequẽtia, altitudine, pulchritudine omnes qui nũc extant, exuperabãt. In eis vici complurimi accolarum, atque ditiſſimi. Neque deerant amnes, lacus, prata, quibus animalia omnia tum fera, tum domeſtica abundè nutriebantur. Sylua item crebra ac varia ſingulis operibus materiam affatim ſuppeditabat. Atq; ita locus ille tam natura diſpoſitus, quàm multorum regum diligentia opibúſque longo tempore erat excultus. Quadrata regio fuit plurimum recta in longum vergens, ſed propter foueam circũerutam recta amiſſa figura. Cuius profunditas, longitudo, & amplitudo incredibiles dictu. Impoſſibile nanq; videtur tam vaſtum opus, cum aliis collatum operibus, manibus hominum eſſe factũ. Dicendum tamen quod audiuimus. Iugeris vnius erat profunditas, latitudo omniũ, ſtadium: cúmque eſſet per vniuerſum campum acta, longitudo eius ſtadiorum decem millia: hæc ſanè fluẽta ex montibus demanantia ſuſcipiebat, pérque agros reuoluta ad vrbem hinc atque illinc perueniens, hàc tandẽ erũpebat in mare. Deſuper autẽ ab ipſa latæ pedes centum foueæ, rectéque exciſæ per agrum rurſus in foueam mari proximam demittebantur: Altera verò ab altera ſtadiis centum ſeiungebatur. Deducebant ex ſiluis ligna in vrbem, & alia ſuis quæque collecta temporibus duplicibus per foueas nauibus: fouearum enim tractus oblique ſeſe vſque ad vrbem interſecabant. Geminos ex terra fructus ac fruges annis ſingulis colligebant: hyeme quidem Iouis beneficio pluuiis tellus madebat, æſtate riuis ex aquæductibus irrigabatur. Circa numerum verò virorũ in campeſtri regione ad rem militarem vtilium hic erat ordo, vt ſuum quæque ducem pars eligeret, præberétque. Partis autem cuiuſque magnitudo decies decẽ ſtadia: vniuerſorũ verò numerus, millia, ſexaginta. Sed eorum qui montes & alia loca colebant, infinitus: per loca verò & plagas in huiuſmodi ſortes ſecundum duces diſtributi erant cuncti. Igitur inſtitutum erat, vt dux in bellum inferret ſextam curruum bellicorum partem, ad millia curruum decem, equos binos, & equites, rurſúſque bigam abſque ſella. Vbi eſſet & qui paruo clypeo munitus deſcenderet, & qui ambos habenis viciſſim regeret equos. Armigeres item binos, & ſagittarios & funditores vtrinque binos: leuis armaturæ milites, iactores lapidum, iaculatoréſque tres vtroſque. Nautas quatuor, ad ducentarum millium nauium complementum. Hac itaque ratione in regia ciuitate erant res bellicæ præparatæ. Reliquarum verò nouem vrbium apparatus alibi aliter, & aliter habebat, quarum rerum prolixior narratio ſit. Magiſtratus autem honoréſque ſic erant principiò inſtituti. Vnuſquiſque decem regum in ſua prouincia, ſuáque in ciuitate hominibus, tum etiam legibus pleriſque dominabatur, puniebátque pro arbitrio vnumquenq;, ac morte damnabat. Imperium profectò & communio inter illos ſecundum Neptuni mandata dirigebantur, quemadmodum leges illis, & literæ nuntiabant à maioribus in columna quadam ex orichalco circa medium inſulæ, in templo Neptuni ipſius inſcriptæ. Illi igitur quinto & per vices ſexto quoque anno conueniebant, tam pari quàm impari æquam partem diſtribuentes. Congregati verò de publicis rebus deliberabant: diligentique examine iudicantes, ſi qua in re præuaricatus quis eſſet, damnabant. Cùm igitur foret iudicium ineundum, tali ſe iuramento inuicem aſtringebant. Nam cùm eſſent in templo Neptuni ſoluti tauri, ipſi decem ſeorſum ab aliis vouebant deo gratam illi victimã ſe ſine ferro capturos. Vnde lignis & laqueis ſolis venabantur. Et quencunque ceperant taurum, ad columnam tractũ, in eius columnæ vertice, vti ſcriptis erat mandatum, protinus iugulabant. Extabat autem in columna præter leges iuramentum execratióq; terribilia his qui non parerent, imprecans. Quando itaque ſacrificiis de more paratis, iam crematuri erant ſingula tauri membra, impleto cratere guttam ſanguinis pro vnoquoque infundebant. Reliqua dabant igni, luſtrantes columnam. His denique actis, phialis aureis haurientes ex cratere & ſuper ignem libantes iureiurãdo interpoſito promittebant iudicaturos ſe ſecundum inſcriptas columnæ leges, punituróſque eos qui antea deliquiſſent. Præterea literarum illarum normam ſponte nunquam ſe tranſgreſſuros. Addebant neque præter patris ipſius leges, vel imperaturos ſe vnquam, vel imperanti obedituros. Hæc vnuſquiſque illorum ſibiipſi poſteriſque precatus, bibénſq; & offerens deo phialã, ad cœnam ſe & neceſſaria cõuertebat: poſtquã verò laſſitudo accederet, ignéq; victimarum fermè iã extincto, ſinguli cęruleã colore, & quàm pulcherrimã induti veſtem, ac penes hoſtias ambuſtas humi ſedẽtes noctu, totúmque ignem in ſacris accenſum extinguentes, iudicabantur ſimul & iudicabant, ſi quis eorum quempiam tanquam legum tranſgreſſorem accuſauiſſet. Poſtquàm verò iudicauerant, diéſq; illuxerat, in aurea tabula ſententias inſculpentes, eas vnà cum veſtibus monumenta futura poſteris, ſuſpendebant.

Leges

Leges autẽ erãt aliæ multæ circa ſacra regum propriæ ſingulorum, ſed hæ præcipuæ. Ne nunquã ſibi inter ſe bellum inferrent, imo ſuccurrerent omnes, ſiquis aliqua in ciuitate genus ipſorum regium extirpare aggrederetur. Cúmq; in cõmune quemadmodũ ſuperiores, de bello déq; cæteris actionibus deliberaſſent, imperij ius Atlantico generi tribuebant. Cædis autem autoritatem aduerſus aliquem cognatorum, regi non concedebant, niſi plures ex decem quàm quinq; in eandem ſententiam conueniſſent. Talem itaq; tantámq; potentiam quæ in illis tunc erat locis deus certo quodã ordine ad hæc rurſus loca deduxit, tali quadam, vt fertur, occaſione. Multa ſanè per ſecula, quoad natura illis diuina perſeuerauit, legibus obediebant, & erga diuinum genus ipſis cognatum benignè affecti erant. Magnificæ nanque illorum animis, & veræ cogitationes inerant. Vnde & modeſtia vtebantur, prudentiáq; & in his quæ aliunde & quæ inter ſe incidiſſent. Quocirca ſpernentes præter virtutem omnia, præſentia parui faciebant, neque efferebãtur, ſed tanquã onus quoddam exiſtimabant, auri cæterorúmq; copiam. Neq; præ deliciis ebrij, neq; præ mero cæcutiẽtes in aliquo per incontinentiã aberrabãt: imò verò vtpote ſobrij acutè cernebant hæc omnia communi ex amicitia vnà cum virtute incrementum ſuſcipere: horum verò ſtudio & admiratione, diſperdi hæc, & virtutem amicitiámq; deficere. Quoad in eis mens talis, & natura diuina viguit, creuerunt quæ ſuprà narrauimus omnia: poſtquàm verò diuina ſors in eis longo abuſu crebriſque mortalium rerũ affectibus inquinata euanuit, móſque humanus præualuit, tunc primùm quia non poſſent ferre præſentia, dedecori ſuccubuerunt. Nam apud eos qui cernere poterant, turpiter affecti exiſtimabantur, cùm pulcherrima ex pretioſiſſimis perdidiſſent. Qui autem rectam ad beatitudinem vitam inſpicere non valebant, ij eos præclaros beatóſque putabant maximè, cùm maximè iniqua plus habẽdi cupiditate & violentia abundarent. Tunc ſanè deus deorum Iupiter qui regit omnia legibus, quique poteſt hæc talia cernere, cùm deprauari generoſam ſtirpẽ animaduerteret, hominéſque eos punire vellet, vt adepti temperantiam modeſtiores concinnioréſque euaderent, deos omnes in ſedem eorum honoratiſſimã conuocauit, vnde tanquam ex medio mundi throno, quęcunq; generationi ſubiecta ſunt, conſpiciuntur. Vocatóque concilio ſic eſt exorſus.

DEEST FINIS DIALOGI.

PLATONIS DE LEGIBVS VEL DE LEGVMLATIONE, VT LIBRI VNIVS, DIALOGVS PRIMVS.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

SEculũ apud priſcos penè idem magnanime Laurenti, tria potiſſimum habuit ſapientiæ lumina, Pythagoram, Socratẽ, & Platonẽ. Copertũ autem habemus ſapientiam quidẽ Pythagoræ magis in cõtẽplando, Socratis verò in agẽdo magis, Platonis deniq; in cõtẽplãdo, pariter atq; agẽdo cõſiſtere. Præterea diſciplinã tã Pythagoræ ſpeculatiuã, quàm Socratis moralẽ, à communi hominum cõſuetudine videri remotiorem. Platonis verò doctrinam ſpeculatiuã pariter & moralem, vbique ita diuinum cum humano contemperare, vt & communi hominũ conſuetudini facilè poſſit accommodari, & ſimul homines ad diuina æternáque conuertere. Neq; verò putandum eſt propterea Platonem à Pythagora & Socrate, quos quaſi numina colit, eſſe diuerſum, ſed mixtũ potius, atq; vtriuſq; ingenij quaſi quendã, vt ita loquar, diuini ad humanũ moderatorẽ, vt quodammodo dici poſſit in illis quidem ingenium duntaxat diuinum fuiſſe in Ariſtotele verò & cæteris poſt Platonẽ Philoſophis humanũ tantum, ſed in Platone diuinũ pariter & humanum. Quorſum hæc? Vt meminerimus præſentẽ legũ diſpoſitionem, quoniã ab ipſo Platone nõ per Pythagoricam perſonam, vel Socraticã vt ſolet cætera, imò verò per propriã Platonis ipſius perſonã nobis traditur, non iniuria viam quandã inter diuina & humana mediã obtinere, neq; nos per abdita & inuia quædã trahere, neque tamen ad inferiora deducere. Quamobrem decem illi de Repub. libri Pythagorici magis ſint atq; Socratici: præſentes verò leges magis Platonicæ iudicentur. Illa Reſpublica vouẽtis fuerit & optantis, diſpoſitio præſens ſit eligentis: vt qui in arduum illud aſcendere nequeũt, ad hos ſaltẽ clemẽtiores colles non dedignentur accedere. Conſidera quanta diligẽtia humanę ſaluti noſter Plato proſpiciat, qui non ſolùm per ardua vult videri hominibus admirandus verũetiam per decliuia quædã facilis & propitius eſſe omnibus atq; ſalutaris. Hic ergo nõ coget homines ſi noluerint inter ſe facere cũcta cõmunia, permittet vt fieri ſolet, propria ſingulos poſſidere. Neq; tamẽ cautiſſimꝰ auriga noſter omnino laxabit habenas. Nam præter ſummã aliarũ diligentiã legum, prudẽtiſſimè ſanciet, ne cui liceat vltra certũ & illũ quidẽ mediocrẽ terminũ cẽſus amplificare, ne aliis quidẽ copia nimia, aliis obſit inopia néue cogantur, id quod miſerabile eſſe putat, multi inter patriæ ſuæ vinas eſſe mendici. Quòd autẽ perſona hic Platonis ſub ipſo Athenienſis hoſpitis nomine, & id quidẽ modeſtiæ gratia lateat, legenti deinceps ex multis perſpicuè apparebit, ex eo præcipuè, quòd affirmabit ſe geminas tractauiſſe Reſpu. Conditurus autẽ leges Græcis, iure à tribus Græcarũ legum optimis cõditoribus leges accipit, Minoe, Lycurgo, Solone, adimens, addens, mutuãs, inueniens: atq; ita optimã ex cunctis componit formã. Et quãuis ab initio conſtituat ciuitatẽ & regulã gubernandi, tamen legũ poſitionẽ nominat potius quàm Rempub. Quoniam in ea ciuitate in qua poſſeſſiones ſunt propriæ ſingulorum, propter varias cõtrouerſias, lites, iniurias, multis opus eſt legibus. In quibus conſtituendis admirandũ ſimul & clementiſſimũ notabis diuini Platonis ingeniũ: excogitat enim inſignis benignitate vir ſingulis legibus proœmia quædã exhortatoria, quibus humaniſſimè ciues adducti, libẽter parere velint, ac ſponte velut filij legũ illis obtẽperent, quibus alij ſolẽt quaſi tyrãnis inuiti parere, ac pro viribus vel fraude vel violẽtia earum imperiũ ſubterfugere. Addit verò poſt multa etiam minas, addit & pœnas propter illos, qui patriã ſuam, non matrem iudicant, ſed nouercam. Deſcendemus iam ad primi Legum dialogi proprium argumentum, ſi prius omnes admonuerimus vt Dialogum Minoem, argumentúmq; illius legãt antequã ad has leges accedant. Accedãt inquam tanquam & lectionibus eas diligenter obſeruaturi, & actionibus penitꝰ ſeruaturi. Alioquin, niſi his obedierint intelligãt ſe poſt tam exactã iuſtitiæ iniuſtitiæq; notitiã & minori excuſatione & maiori crimine peccaturos. Athenienſis hoſpes, id eſt Plato profectus in Cretã prope Gnoſum offendit Megillũ Lacedæmoniũ, & Cliniam Cretenſem, quem vnà cũ nouẽ aliis Gnoſij accerſiuerant, vt coloniã inde deducerẽt, vrbẽ conderent, eiq; leges darent. Hi ergo duo ad ſacrũ Iouis antrũ conſulturi de hoc accedebant: his factus obuius Athenienſis hoſpes, quidnã acturi irẽt interrogauit. Illi leges excogitaturos eſſe ſe reſponderũt. Verùm cùm multa de legibus interrogati ab hoſpite queſtionẽ haud ſatis abſoluerẽt, & hoſpes illis ad leges aptiſſimꝰ videretur, obſecrauerunt eum vt ad ciuitatẽ legibus inſtituendam vnà cum ipſis adiutor accederet. Obtemperat ergo hoſpes, & ante omnia principium à quo & per quod leges ad homines peruenerũt, exponit, deũ ſcilicet atq; philoſophũ. Deinde legũ perquirit finem, docens eiuſmodi finẽ fore tranquillã animorũ ciuiliũ puritatem, veritatis cõtemplationi quoad fieri poteſt ſufficientẽ. Tertiò ad ipſam legũ formã materiámq; deſcendit. Leges autẽ à Deo hominibꝰ inſpirari, teſtis eſt omnis antiquitas teſtes & multi Platonis libri, teſtes & rationes noſtræ in multis Dialogorũ argumẽtis adductæ, atq; in Theologia noſtra. vbi de religione agitur, cõfirmatæ. Profectò ſi natura quæ nihil aliud eſt quàm infimũ diuinæ prouidentiæ inſtrumentũ, atque vbicunque prouidẽ videtur incedere, non ducit ipſa ſeipſam, ſed ab ipſa prouidẽtia ducitur, fines omniũ ordinéſq; & in ſeipſa præſcribente, & naturæ prout vult inſcribente: ſi inquã natura talis neq; abundat ſuperfluis, neq; in rebus deficit neceſſariis, certè diuina prouidẽtia in

rebus

rebus neceſſariis nunquam deficit. Neceſſaria verò eſt hominũ generi aliter non potenti viuere congregatio mutua. Neceſſaria quoq; lex congregationi ſimiliter procul à lege ſubitò perituræ. Neceſſaria rurſum legibus diuina eſt autoritas, ne vel negligentia obſoleſcat, vel fraude & violentia cõfringantur. Neceſſaria tamẽ cõparandæ autoritati diuinæ, tum ſanctimonia vitæ, tũ pœna ſuper humanas vires omnibus admiranda. Quamobrẽ prouidentia dei quæ ſingulis elemẽtorum, plantarum, brutorũ, membrorum ſpeciebus & vſibus neceſſaria proſpicit, multò diligentius perfectiſſimæ animalium ſpecies colenti diuinitatem in ſanciendis legibus apprimè ſaluti hominum neceſſariis deeſſe non debet. Adde quòd neque poteſt princeps vllus vaſtam ciuitatis nauẽ quolibet momento procellis & periculis innumeris agitatam, abſque cœleſti flamine ad portum vſque perducere. Ergo deus tum occultis inſpirationibus animorum, tum miraculis manifeſtis, quoties neceſſitas exigit, & reuelat myſteria legum, & ſancit palàm atque promulgat. Propterea exordium Plato legum adeò iuſtis felicibúſque inchoat auſpiciis, deum non abs re ter ſtatim in principio nominans. Tres enim hic diſputant fundatores legum, ſinguli que diuino indigent patrocinio. Tres quoque imitatur autores legum, Minoem, & Lycurgum, atque Solonem. Qui & leges in tria numina retulerunt, Iouem, Apollinem, & Mineruam. Neque id quidẽ iniuria. Sol enim planetarũ dominus potentiam, Iupiter clementiam, Minerua ſapientiã cõtinet. Quæ quidem tria totam legis naturam perfectionémque complectuntur. Quid enim aliud eſſe dicimus legem præter rationalem quandam regulam certo quodã ordine ad bonum ſubitò perducentem? vt autem ratio & regula & ordo inſit, neceſſaria omnino ſapientia eſt. Præterea vt perducat ad finem atque ſeruetur, in primis potẽtia eſſluit, denique vt ad bonum, id eſt, ad cuiuſque cõmodum, & commodè benignéque cõducat, magnopere clementia prouidet. Tria itaque apud priſcos numina diuinam referentia trinitatem legibus neceſſario cõſulunt. Atque idcirco tres ſimiles dotes in principe ad ferendas leges neceſſariæ iudicantur. At quoniam perfectas inuicem has oportet concurrere ad perfectas leges cõſtituendas, id verò humana facultas præſtare non poteſt, nimirum ad legũ exactiſſimam ſanctionem diuino eſt opus auxilio. Quod autem nouenarium annorum numerum Plato & in Minoe, & hic ſæpe repetit, quaſi neceſſarium ad leges, ab ipſo Ioue diſcendas hominibusque tradẽdas, fortè ſignificat nouem angelicarum mentium ordines, per quos velut interpretes ipſa legis ſanciendæ ratio ad homines vſque transfertur. Omnes verò hos ordines legum interpretes ſub vno Mercurij nomine ſignificat in Protagora. Neque verò te lateat nouenario hoc in angelis numero non Chriſtianos ſolùm vti, ſed & Platonicos præcipuè Proclum atque Syrianũ quod in Theologia ſatis oſtẽdimus. Quid verò? ſi nouenarius hoc ſignificet trinum potentiæ vſum, trinũque ſapientiæ, triplicem quoque clementiæ? videlicet vt trium quodlibet tum in lege ipſa ſit, tum in iudicio magiſtratus, tum in miniſtris & ipſa executione iudicij? Præterea in ipſis rerũ actionumque principiis mediiſque & finibus? Tria verò ter repetita nouenarium manifeſtè perficiunt. Sed cùr nam in Republica ab ipſis Mineruæ ſacris, hic verò à ſacris Iouis diſputationis fundatur exordium? An fortè, quoniã diſputatio illa Athenis habetur, & de ãtiqua Athenarum vrbe Mineruæ dicatæ tractatur: hic verò in Creta de Cretenſi vrbe ædificanda conſulitur, prope ipſum Iouis templũ, déq; legibus Minois Iouis filij in principio verba fiunt? An potius forma illa Reipublicæ prior caſtior erat atq; ſeuerior, Palladi maximè cõgrua: hæc verò paulò indulgentior, & ſua quadã humanitate Ioui cõueniens? Sũmatim & hic & ibi à votis ſacrificiiſq; ciuitatis naſcentis felicitatem auſpicamur. Mitto deſcriptionẽ longi huius itineris, & ſacros lucos & arbores tẽplo dicatas, & alia multa quæ cõmentum deſiderarent potius quã argumentũ. Poſt verò nonnulla quæ allegoricè docent res humanas præſertim publicas non poſſe abſq; diuino quodã patrocinio rectè componi, ideóque ab ipſo deo, qui legum & principium eſt & finis, eſſe legũ exordium faciendum incipit iam paulatim de legum fine perquirere, ſignificans harum finem eſſe diuinũ cultũ quandoquidẽ eiuſmodi legum diſputatione ad templũ Iouis proficiſcuntur. Cùm igitur legum finis vltimus ſit Iouis illius cultus qui fecit mundũ, deditq; mundo leges, & nobis, non immeritò ſtatim negat finem legum eſſe Martis cultum, interim modeſtè Minois & Lycurgi leges emendans, quòd non tã ad virtutem ipſam ſimpliciter reſpexerint, quàm ad bellicam declinauerint. Profectò leges debent illud potiſſimũ in ciuitate habere pro fine, ad quem quaſi ad ſignum omnia dirigant, quod à cunctis ciuibus maximè omnium eſt expetendum. pugna verò atq; victoria cùm laborũ, malorúmq; plena ſit, non propter ſe quidẽ optanda eſt, ſed eligenda potius propter pacẽ, tutámq. vitæ trãquillitatẽ: quemadmodũ nemo ita exoptat viuere, vt in perpetua contra morbos pugna, victoriáq. verſetur. Concludit tandẽ non decere ſtudia pacis ad bellica, ſed contrà, bellica potius ad pacis ſtudia officiáq. referre: pacem verò ad expeditũ liberúmq. veritatis deiq. cultũ. In his verò probandis ipſum bonorũ genus in multas diſtribuit ſpecies, dicens alia quidẽ eſſe humana, alia verò diuina: & à diuinis humana pendere: humanorũ autẽ, quæ longè diuinis inferiora iudicat, primũ eſſe ſanitatẽ, ſecundũ formã, tertiũ vires, quartũ diuitias, horũ verò bonorũ ducem vult eſſe prudentiã, ducẽ inſuper diuinorũ poſt prudentiã ſequi exiſtimat temperantiã, poſt hanc iuſtitiam, poſt iuſtitiam fortitudinẽ. Profectò & hic ſignificat, & in quarto de Republica explicat, tres animæ partes, rationalem ſcilicet, iraſcibilẽ, concupiſcibilem: & prudentiam quidem in ſola rationali, fortitudinẽ in ſola iraſcibili eſſe. Tu quoque pone in ſola concupiſcibili continentiã. Ponit verò in cunctis ſimul partibus temperantiã atq; iuſtitiam, & vtranque nominat totius animæ conſonantiã. Sed tẽperantia quidẽ in affectibus, iuſtitia verò in actibus conſonãtia fit. Et illa ſit animæ ſanitas, hæc animæ pulchritudo. At prudẽtia, oculus: fortitudo verò, manus. Si ſubſtantiã animæ puritatémq; cõtẽplationi neceſſariã ſpectas, iuſtitiæ temperantiã antepone: ſi humanã ſpectas conſuetudinẽ, præpone iuſticiã. Omnino verò prudentiã cunctis quaſi oculũ pedibus atq; ducẽ. At fortitudinẽ continentiæ antepone. Nam fortitudo & circa difficilius verſatur, doloris ſcilicet tolerantiã, & continentiæ officiũ, quod eſt vincere voluptates, in ſeipſa cõplectitur. Vtranq; verò iudicato temperantia iuſtitiaq; inferiorẽ. Hæc enim duo integrũ animæ totius ordinem magis poſſident duce prudentia conſtitutum. Ex his colligit oportere latorem legũ & ipſum referre, & referri iubere, humana quidẽ ad diuina, diuina verò, id eſt, virtutes ad mẽtem veritati diuinitatiq; deditã. Dum verò de fine legũ diſputat, officiũ quoq; ipſarũ conditoris exponit: idq; ſummatim eſſe vult, ſumma cum diligentia totã ciuitatẽ colere quaſi agrum, vt exquiſitam de eligendis ſerendiſq; ſeminibus habeat rationem. Deinde de opportuna plantæ cuiuſque cultura. Item de extirpandis ſtatim ab initio noxiis herbis & ſentibus. Deniq; de omnibus ad maturitatem ſuo ordine perducendis. Tu verò inter hæc aduerte turpiorẽ haberi qui voluptatibus cedit, quàm qui ſuccumbit doloribus. Item fortis viri officium eſſe nõ ſolùm metus & pericula ſuperare, ſed cupiditates etiã coercere. Præterea neminẽ ſecurè iudicari poſſe fortẽ, niſi diu inter labores & pericula verſatus ſtrenuè fuerit, adde & niſi in ipſa licẽtia & illecebris voluptatum, in quibus probantur propriè cõtinentes, ipſe quoq; fuerit cõprobatus. Aduerte nõ eſſe tutum vel hominẽ qui fortis ſit futurus procul à timoribus, vel eũ qui futurus ſit tẽperatus, ſeorſũ ab omnibus voluptatũ illecebris educare. Prętereà totũ cõditoris legũ ſtudiũ circa voluptates & dolores oportere verſari, vt duo hæc quaſi bruta fræno nõ careãt. Si enim fræno cohibeãtur, facile felixq; vitæ iter euadit. Si nullo coerceantur fręno, difficile admodũ & infelix. Notabis & illud de Athenienſibus dictũ probos Atheniẽſes eſſe pręcipuè probos: propterea quòd ſoli ſuaptè natura, & diuina quadã ſorte, nullo cogente vel perterrẽte ſint probi. In his Plato ſignificat, in ciuitate malè inſtituta, raros quidem fore ciues bonos, ſed illos fore omniũ præſtantiſſimos. Quoniã cùm nulla diſciplina tales euaſerint, profectò diuina quadam ſorte & perfecta natura facti ſint tales, quorũ etiã tanta ſit excellentia, vt cõmuni contagione nõ inquinẽtur. Poſt hæc ſingulare id cuiuſq; artis totiúſq; vitæ pręceptũ cõſiderabis, Oportere eos qui pręſtãtes viri quouis in ſtudio euaſuri ſunt, ſtatim à teneris annis id ipſum tam ludẽdo quã ſtudendo in ſingulis ad id cõducentibus meditari, adeò vt viriliũ ſtudiorũ accomodatiſſima pueris præludia proponãtur, atq; ita ludentiũ animi in amorẽ illius potiſſimum adducantur, quod in virili ætate ſeriò ſunt acturi. Inter hæc diſciplina ſic definitur, Diſciplina eſt, ea vitæ ſtatim à pueritia inſtitutio, quæ in amorẽ virtutis paulatim adducit animum puerilem. Illius inquam virtutis præcipuè, per quam vir factus imperare ſciat atq; parere. Hominem verò oportere & inſuper poſſe diſciplinam eiuſmodi à teneris annis habere per illam quæ ſequitur humanę naturę deſcriptionem aptè confirmat: inquit enim, hominẽ etſi vnũ quiddam ſit, habere tamen multa in ſe atq; diuerſa, inter quę ſint tyranni duo amentes quidem & inter ſe contrarij, animum diſtrahentes, Dolor atq; Voluptas: prætereà opiniones futurorũ bonorum atque malorum, ex quibus appetitus confidentiáq; ad bona, timor autem ad mala nobis ſuboritur, perturbationéſque animi ſimiles. Præter hæc adeſt iudiciũ rationis, dictans quid bo-

rum melius ſit, quid peius. Iudiciũ verò eiuſmodi in vnoquoque lex priuata eſt, & in ciuitate lex publica. Quoniã verò animal vnum ex rebus tã diuerſis dixerat eſſe compoſitum, haud abre ſubiungit, hominem inter animalia miraculũ eſſe diuinum, Mercurium imitans dicẽtem, miraculum ingens hominem eſſe. Animalium tria ſunt genera. Aut enim tam ex corpore quam ex animo immortalia ſunt, aut ex vtroque mortalia, aut ex animo quidẽ immortalia, ex corpore verò caduca. In primo quidẽ genere cœleſtia, & ætherea, & aerea ſunt, ſiue dij ſiue dęmones nominentur. In vltimo verò ſunt bruta. Sed in medio homines dæmonéſq; aquei atq; terreni. Cum enim horum quoq; dæmonum corpora ſicut humana ex contrariis componantur, diſſolui quandoque poſſunt, perturbationéſq; aliquas afferunt. Sed cæteris iam omiſſis cùr nam homo miraculũ? Quia & cum diuinus ſit, mirũ eſt eum à mortalibus infici: & cùm ſit mortalis, mirum quoque affici ad diuina. Sed cur diuinũ miraculum appellatur? Quoniã ita eſt diuina prouidẽtia inſtitutum: & vt Timæus docet, à deo quidem opifice mundi rationalis animæ ſubſtantiam ipſam accepimus, à diis autẽ cæteris naturam quãdam vitalem ratione inferiorem, à dæmonibus denique corpora. Quod autem addit, hominem à diis fuiſſe vel ludo vel ſtudio quodã effectum, ſic intellige: ludo quidem factũ eſſe, ſi anima ſemper à cæleſtibus ad terrena, atque viciſſim quaſi ludendo tranſmigrans nunquã immutabili apud Deum ſede quieſcat: factum verò ſtudio, ſi modò penes effectores deos, effectorem deum animus quandoq; ſit immutabiliter permãſurus. Vtram verò diſiunctionis huius partẽ eligere debeamus, affirmare hic Plato non audet. Probabile tamẽ habet, vt hic alibique ſignificat, hominem ſtudio quodam potius quàm ludo fuiſſe diuinitus conſtitutum. Siquis autem ambiguũ hunc Platonis textum legere ita velit, vt ſignificet vel hominẽ eſſe à diuinis animalibus conſtitutũ, ab aſtris intelligat: vel eſſe ex animalibus multis compoſitũ, intelligat partes affectúſq; animæ nominari à Platone poeticè animalia. Quod quidẽ apparet in nono de Republica & in principio Phædri. Sed iſta tu videris. Deſcendit poſt hæc ad quædam, quæ etſi leuiora videãtur, ad perfectam, tamen diſciplinæ traditionem morúmque probationẽ neceſſaria ſunt: qualia ſunt ſtudia muſicæ, conſuetudinéſq; perſimiles. Muſica verò communiſſima quadam ſignificatione comprehendit proportionis cuiuſlibet ordinem, non ſolùm in ſermone, cantu, ſono, ſaltu, ſed gymnaſtico quoque ludo gratiáque conuiuij. Hæc quidem omnia in ciuitate compoſita eſſe debent, vt omni perturbationum vitiorúmq; incitamento ſublato, corpus & ſpiritum animámq; contemperent. Exorditur autẽ diſputationis opportunitate quadam à conuiuiis, atq; vino dicens, primò cauendũ eſſe, ne ad innatas nobis perturbationes accedat quoq; ebrietas. Hęc enim ſi temerè acceſſerit, & rationis officia minuit, & perturbationis impetus auget. Probat tamen conuiuium atque meri vſum, ea videlicet cautione adhibita, quam in libro ſequenti planius explicabit. Hic verò ad id potiſſimum cõferre iudicat, vt ex liberiori interdum vſu meri: mores hominum in conuiuiis detegantur: ſolet enim impudentiores audacéſq; reddere. Illic ergo prudẽs iuuentutis cuſtos depræhẽſis iuuenum præſertim vitiis, impudẽtia, & mederi facilius poterit, & aſſueſacere iuuenes etiam in ebrietate omnium impudentiſſima ſeruare pudorem. Quanti verò ſit pudor, id eſt dedecoris & infamiæ timor, ex eo conſtat, quòd ob huiuſmodi metum iuuenes, & turpia in primis metuunt, & honeſta quamuis ardua audacter aggrediuntur. Quæ quidem duo reip. maximè omnium tam pace quàm bello neceſſaria iudicantur. Ideóq; ad hæc ciuiũ animis infundenda, legumlator diligenti ſtudio debet intẽdere.

ATHENIENSIS HOSPES, CLINIAS CRETENSIS, MEGILLVS LACEDEMONIVS.

DEVMNE an aliquem hominem, ò hoſpites, condendarum legum cauſam exiſtimatis? CLINIAS. Deum, ò hoſpes, deum inquam, vt decet aſſerere apud nos quidem Iouem, apud Lacædemonios verò, vnde hic eſt, Apollinem dicturos iſtos exiſtimo. Nónne? MEG. Certè. ATHEN. An Homerũ ſecutus ita dicis? Nempe Minoa per nouennium patris collocutionem petere ſolitũ, eius monitis, ciuitatibus veſtris leges, quemadmodum ille canit, poſuiſſe. CLI. Sic noſtri ferunt. Fratrem quoque eius Rhadamanthum (audiſtis enim nomen) iuſtiſſimũ fuiſſe. Eúmque non Cretenſes, quia tunc rectè ius vnicuique diſtribuerit, hanc laudẽ conſequutum cenſemus. ATHE. Egregia profectò laus, maximéque filio Iouis digna. Verùm quia in huiuſmodi moribus atque legibus ambo educati eſtis, tu ſcilicet atq; hic, ſpero nobis non iniucundum fore, ſi inter eundũ de cõſtituendis ciuitatibus ac legibus diſſeramus. Eſt autem à Gnoſo in antrũ templúmq; Iouis via, ſatis, vt audiuimus, longa, ſeſſioneſq; per ipſam ſub altis arboribus, vt in æſtu conuenit, vmbroſæ ſunt. Noſtrę igitur ætati conueniens erit, frequenter in his requieſcere, mutuóq; orationis ſolamine ſine moleſtia iter hoc omne tranſigere. CLI. Atqui cũ progreſſi fuerimus hoſpes, cupreſſos offendemus in lucis proceritate ſpeciéque mirabili, prata quoq; amœna, in quibus requieſcẽtes libẽter cõmorabimur. ATHE. Rectè nimirum loqueris. CLI. Prorſus, verùm hæc magis affirmabimus, quum viderimus. Sed nũc bonis auibus eamus. ATHE. Fiant. Sed dic mihi oro, quamobrẽ cõuiuia publica, gymnaſia, armorúque artẽ lex vobis inſtituit? CLI. Arbitror equidem, ò hoſpes, noſtra hęc eſſe facilima cognitu. Naturã enim regionis Cretæ totius vniuerſam videtis non eſſe vt Theſſaliæ, planam. Idcircò equis illi magi, nos curſibus vtimur. Inæqualitas hæc locorũ ad pedeſtrẽ exercitationẽ curſúmq; eſt aptior. Quapropter armaturam quoq; leuiorẽ eſſe neceſſe eſt, ne põdere ſuo curſum impediat. Arcuũ ergo ſagittarũq; leuitas maximè cõgruit. Hæc igitur omnia ad bellum nobis accommodata ſunt: ad idq; reſpiciens legiſlator, cũcta, vt mihi videtur, inſtituit. Quippe huius gratia ipſam etiã conueniendi legẽ ſanxiſſe videtur, quũ omnes videret in militia re ipſa coactos, cuſtodiæ ſuæ gratia, conuiuia habere communia. In quo ſanè arbitror eum ſtultitiæ crimine permultos cõdemnaſſe, quòd minimè intelligant bellũ ciuitatibus omnibus cum omnibus iuge atque perpetuũ eſſe. Nã ſi dum eſt bellum, cuſtodiæ cauſa cõuiuia in vnũ celebrare, præfectóſq; aliquos vnà cum ſubiectis ſuis armatos tueri cæteros oportet, idipſum eſt pacis etiã temporẽ faciundum. Quã enim plerique pacẽ nominant, id eſſe nomen ſolummodò exiſtimandum. Re verò ipſa omnibus ciuitatibus aduerſus omnes indictum bellum natura eſſe, ac reperies ferè, ſi cõſideres, Cretẽſium legum latorem omnes leges tam priuatim quã publicè ita nobis cõſcripſiſſe, quaſi ad bellum reſpiceret, atque ita illis parere iuſſiſſe, quaſi cæterarũ rerũ nulla eſſet vtilitas, nõ poſſeſſionũ, non artium, niſi quis bello ſuperet, cùm omnia bona eorũ qui victi ſunt, ad victores illicò tranſeant. ATHEN. Probè, ò hoſpes, ad exponendũ Cretenſiũ leges exercitatus mihi videris. Sed id planius dicas. Nam rectè diſpoſitã ciuitatem ita demũ dicere viſus es, ſi ſic inſtituta ſit, vt cæteras bello vincere poſſit. Itáne? CLIN. Ita prorſus. hunc etiam arbitror conſenſurũ. MEG. Haud aliter Lacedæmoniorum quiſpiam, ò diuine vir, reſponderet. ATH. Vtrum ciuitati ad ciuitatem ita conuenit, pago autẽ ad pagum aliter? CLI. Non aliter. ATHE. Similiter ergo ſe habent. CLIN. Similiter. ATH. Nunquid & domus ad domũ, quæ eodem in pago ſunt, & ſinguli viri ad ſingulos? CLI. Similiter & iſta. ATHE. Quid porrò de viro quolibet ad ſeipſum eſt dicẽdum? Vtrum cuilibet ad ſe-

Leges non propter bellum latas eſſe.

ipſum quaſi hoſtem ad hoſtem meditandum dicemus? An aliter? CL. Athenienſis hoſpes, Non enim ego te Atticum nominare volo. Videris namque deæ ipſius Athenas, id eſt Palladis cognomento digaior eſſe Nempe vniuerſam hanc rationé ad principium reductam planá feciſti, quò facilius inueniri queat probè iá fuiſſe dictú, hoſpes videlicet omnes omnibus eſſe tá publicè quàm priuatim, & ſingulos ſibiipſis. ATH. Quomodo id ais, ó vir mirifice? CL. Primam, ô hoſpes, & optimá eſſe dico victoriam, vt ſeipſum quis vincat. Turpiſſimú verò quiddam & peſſimum, vt à ſeipſo vincatur. Atq; hæc omnia ſingulis aduerſus ſeipſos bellum eſſe ſignificant. ATH. Orationem igitur illam reſumamus. Nam cú quiſque noſtrûm, aut ſuperior ſeipſo ſit, aut inferior, dicendúmne eſt eodem ſe modo domú, pagum, & ciuitatem habere? An aliter? CLI. Sítne ſuperior aliqua ſeipſa, aliqua inferior dicis? ATHEN. Idipſum. CLIN. Id quoq; rectè quæſiſti. Non enim minus ciuitatibus id contingit, imò maximè hoc in eis perſpiciunt. Nam vbi meliores multitudiné peioréſq; ſuperát, rectè profectò ciuitas illa ſuperior ſeipſa dicetur, & hac victora non iniuria lauditur. Contrà verò, vbi cótrarium fit. ATH. Sed vtrum quod peius eſt, meliore aliquando ſuperius & potentius ſit, ad præſens ſinamus. lógiore nanque oratione indiget. Quod autem abs te dictum eſt, ſic intelligo, quòd ciues quádoq; cognati & ciuitatis eiuſdem multi & improbi aduerſus iuſtos, paucos illos, conſpirabunt, vimq; inferent, vt eos ſubiiciant. Ac ſi vicerint, ciuitas illa ſeipſa inferior, prauaq; dicetur, ſin autem victi fuerint, ſuperior atq; proba. CLIN. Mirum eſt hoſpes, quod dicitur. ſic tamen fateri neceſſe. ATH. Age iam & hoc rurſus conſideremus. Multi ab vno patre matreq; eadé fratres naſci poſſunt: nec mirú ſi plures eorú iniuſti erunt, iuſti verò pauciores. CL. Nihil mirum. ATH. Nec me decet arbitror, aut vos iſthuc captare, domú ſcilicet & cognationem vniuerſam inferioré ſeipſa videri ſi praui ſuperent, ſuperiorem ſi vincátur, Neq; enim hoc agimus, vt elegantiam vel ruditatem verború obſeruemus, quod multi facere ſolent, ſed vt quæ recta ratio ſecundú naturam in legibus ſit, quis error, indagemus. CLI. Verá loqueris hoſpes. MEG. Probè profectò hucuſque mihi quoq; dictú videtur. ATH. Hoc præterea conſideremus. Vtrum dictis modò fratribus iudex quiſpiam præeſſe poterit? CLIN. Proculdubio. AT. Vter igitur melior erit iudex? Num qui improbos perdet, efficietq; vt probi ſibiipſi imperent? An qui probos quidem faciet imperare: improbos autem, cùm ſpóte ſubire imperiú perſuaſerit, viuere patiatur? Tertiú virtute iudicem his addamus, ſi quis talis reperietur, qui diſſidentem cognationem ita cómendatá habeat, vt neminem perdat, ſed recóciliatis leges conſcribat, quibus inter ſe perpetuò amici futuri ſint. CLI. Longè melior talis iudex legumq́ue códitor erit. AT. Atqui contrà quá ad bellú reſpiciés ipſis leges conſcribet. CLI. Vera loqueris. AT. Quid autem? Qui ad bellum reſpiciens, ciuitatem conſtituit, vtrum ad externa bella reſpiciet, & ad illa vitam ciuium referet, an inteſtina, quæ ſeditiones appellantur: quæ minimè omniú & eſſe in ciuitate ſua quiuis cupiat: & ſi ſint, quàm ocyſſimè abolere? CL. Ad hæc planè. ATH. Vtrum verò perdita ciuiú parte pacem ex ſeditione cóſequi, cùm altera pars potita victoria ſit, malit quiſpiam: an potius per recóciliationem facta pace amicitiaq; firmata, ad externa bella totius animum ciuitatis conuerti. CLI. Hoc profectò potius quá illud ciuitati ſuæ accidere quiſque optabit. AT. Nónne & legúlator ſimiliter? CL. Similiter. ATH. An non ipſius optimi gratia leges omnes ferendæ ſunt? CLIN. Ipſius népe. ATH. Atqui optimum nec bellú nec ſeditio eſt. omnes enim deprecantur, nequid horú ſibi incundú ſit, ſed pax, mutuáq; beneuolentia. Sed neq; victoria illa qua ciuitas ipſa ſeipſam ſuperat, optimum quiddá eſt, ſed neceſſarium potius: putare autem optimú ciuitatis ſtatum in pugnando & vincédo cóſiſtere, ſimile eſt ac ſi quis optimè cú ægrotante agi putet, dum curatur, de eo verò ne cogitet quidé, qui núquàm ægrotauerit. Et ſiquis ſimiliter de ciuitatis vel priuati hominis felicitate exiſtimet, nec ciuilis reuera vnquá vir erit, dú externa ſolum atq; in primis bella reſpiciet, nec exquiſitus legú códitor, niſi gratia pacis de bello potius quá belli gratia de pace leges cóſcribat. CLI. Rectè hæc hoſpes dicta eſſe videntur. Ego verò mirarer, ſiquis fortè tam noſtras quá Lacedæmoniorú leges non belli gratia ſedulò poſitas eſſe contendat. ATH. Fortaſſe ita ſit. Oportet auté non contétiosè, ſed quietè rem inquirere, ſtudio quá maximè tá à vobis quàm ab illis huiuſmodi rebus adhibito. Attédatis igitur oro. Incipiamus à Tyrtæo, natura quidem Athenienſe, Lacedæmoniorú poſteà ciue, qui præ cæteris hominibus maximè huiuſmodi rebus incúbit. Nó ſi opibus ſuperet cunctos, & plurima ſolus poſſideat bona (numerat enim ferè omnia) vir mihi nomine dignus abibit. Tractandis quiſquis non eſt accómodus armis. Hæc tu quoque forſitan carmina audiuiſti. Ná hunc obtuſum iam eſſe audiendo arbitror. MEG. Vulgatiſſima hæc apud nos ſunt. CLI. Ad nos quoque hæc Lacedæmone aduecta peruenerunt. ATH. In commune igitur hoc modo húc poetá interrogemus: O diuiniſſime poeta Tyrtæe, ſapiés certè ac bonus nobis eſſe videris, qui excellentibus eos extuliſti laudibus, qui in bello excelluerút, de quo iam ego & hic & Clinias Gnoſius valdè tibi aſſentire videmur. Vtrú aút eiſdé de viris dicamus, an nó, planè ſcire vellemus. Quare nobis explana, nú tu quoq; ſicuti & nos, duo belli genera arbitreris, an aliter. Ad hæc arbitror non Tyrtæú ſolú, ſed & quéuis illo longè deiectiorem duo protinus reſponſurú. Alterum quod ſeditioné appellamus, omniúq; grauiſſimú eſſe modò cóceſſimus. Alterú verò belli genus, quod omnes ponimus multò mitius illo quo aduerſus externos & alienigenas vtimur. CLI. Cui dubium? ATH. Dic igitur nobis, quos viros in quo belli genere ita valdè laudaſti, & quos vſque adeò vituperaſti? Videris enim eos laudaſſe, qui externa magno animo bella gerút. Sic enim in carminibus dixiſti, Quiſquis non auſit cædem ſpectare cruentá, Et durum corá manibus laceſſere Martem, Deſpicio. Hinc nos, ô Tyrtæe, eos te laudare colligimus, qui in externis bellis gerédis præ cæteris clareant. Cócedet iſta Tyrtęus? CLI. Quidni? ATH. Nos auté, cum hi præſtátes ſint, longè præſtantiores eos exiſtimamus, qui maximo in bello præſtát. Teſtémq; & nos poetam habemus Theognim Megarenſem ciué ex Sicilia, qui ait: Argento fuerit, fuluo æquiparandus & auro Fidus in inſana ſeditione manens. Húc itaq; dicimus in grauiſſimo bello, tantò illo eſſe melioré quátò ſola fortitudine melior eſt iuſtitia, téperantia, ſapientia, fortitudini cóiuncta. Nemo enim integer & fidelis ſine omniú virtutú numero in ſeditionibus reperiri poterit,

Multi auté etiam mercenarij, quod non negabit Tyrtæus, reperiuntur, qui externo in bello intrepidè pugnant: quorum plurimi feroces, iniurij, contumelioſi, pauciſſimiſque exceptis, omnium amentiſſimi. Quorſum hæc? quidq; ex his declaratú eſſe voluit, cum hæc dixit? Quòd videlicet omnino tam ille qui leges hic ab Ioue dedit, quàm alius omnis legúlator ſi quid modò profuturus eſt, ita leges códet, vt non ad aliud quàm ad ampliſſimá ſemper virtuté reſpiciat. Eſt auté, vt inquit Theognis, fides illa, quæ maximè in periculis lucet. Quam iuſtitiam perfectam quis nominabit. Ea verò quam ſummopere Tyrtæus laudauit, etſi pulchra eſt, & à poeta opportunè laudata, virtute tamen, qua ex honorabiliú genere dicitur, & numero quarto loco rectiſſimè honoranda eſt. CLIN. Ergo hoſpes legum noſtrarum conditorem inter vltimos legum conditores reiicimus? ATH. Non illum, ó vir optime, ſed ipſi nos ipſos, ſi quidé putemus, & hic, & apud Lacedæmonios Lycurgum, & Minoem ad bellú reſpiciétes leges condidiſſe. CLI. Quomodo igitur de hoc dicere nos oportebat? ATH. Vt veritas & iuſtitia poſtulat eos dicere, qui de diuina republica diſſerunt: nó ad particulam virtutis, & præſertim ad deiectiorem, ſed ad vniuerſam ipſos virtuté reſpexiſſe putádú, & per ſingulas earú ſpecies leges quæſiſſe, nec eas ſpecies inueſtigaſſe, quas multi modò proponétes, quærunt. Id enim quiſq; maximè quærere ſolet, quo maximè indiget, alius de hæreditate, & hęredibus, alius de iniuria, alius de cæteris huiuſmodi multis. Nos aút tunc de legibus bene quęri putamus, cú ita vt nos modò incepimus, quæritur. At tuú equidé ingreſſum ad exponédas leges valdè ꝓbo. Quod enim à virtute feciſti principiú, dicens leges virtutis gratia conditas, rectè quidé aggreſſus eſſe videris, ꝙ auté ad particulam virtutis, & eá minimá reſpexiſſe conditoré legú affirmaſti, haud rectè mihi viſus es dicere, atque idcircò longiore poſteà oratione vſus ſum. Quomodo autem te nobis diſtinguere voluiſſem, ſi vis, tibi dicam. CLIN. Volo equidé. ATH. Húc in modú dicere oportebat, ó hoſpes Cretéſiú leges nó temerè omnibus Græcis in primis probátur. Rectè enim poſitæ ſunt, cú vtentes eis beatos efficiát.

ORDO BONORVM.

BONA

Diuina	Humana
Prudentia	*Sanitas*
Temperantia	*Forma*
Iuſtitia	*Vires*
Fortitudo.	*Diuitiæ.*

Omnia enim bona his porrigút. Duplicia verò bona ſunt, alia humana, diuina alia, depédentq; à diuinis humana. Siqua verò ciuitas maiora ſuſcepit, minora quoque poſſidet: ſin autem illis caret, vtriſq; priuatur. Minorú primum eſt ſanitas, forma ſecundum, tertiú vires ad curſum cæteroſque corporis motus, quartum diuitiæ, quæ cæcæ non ſunt, ſed acutè cernunt, ſi prudentiam ſequantur. Quæ quidem prudentia diuinorum bonorum dux primus exiſtit. Deinde poſt menté temperatus animi habitus. Ex his duobus cum fortitudine mixtis iuſtitia tertiò emergit. Fortitudo quartú tenet locú. Quæ omnia humanis illis natura pręponútur. Quare oportet vt legú quoque lator & ipſe hunc ordinem ſequatur, & mádet omnibus vt ſemper ad hæc ipſa reſpicientes in ſingulis operétur: humana enim ad diuina, diuina verò ad mentem principem referenda. Curet præterea oportet nuptias inter ciues, & generationes educationeſq; liberorum maſculorum pariter & fœminarum, tá iuuenú quá ætate prouectorú: & eos qui rectè in hiſce ſe gerút, vt decet, honoret: cótra verò, dolores voluptates, & cupiditates in omni conuerſatione vituperet. Cóſiderabit etiá & obſeruabit diligenter ad quæ ſtudia quenq; rapiat amor, rectáq; officia per leges laudabit, vituperabit contraria. Docebit ité atq; definiet quid in cuiuſq; affectu honeſtú ſit, quid turpe, circa irá videlicet atq; metú, & alias quæcunq; vel aduerſis in rebus accidút perturbationes, vel ſecúdis delicias, atq; circa omnes deniq; motus, qui ex morbo, bello paupertate, vel horum contrariis homines vexát. Poſt hæc neceſſe eſt vt legiſlator quæſtus impenſaſq; ciuium diligenter obſeruet, & quomodo fiant agnoſcat, ſocietates præterea & earú diſſolutiones quas vel ſponte vel nó ſpóte faciát: quicquid horú inter ſe contraxerint vbi iuſtitia adſit, vbi abſit, animaduertat: & parentibus quidé honores, nó parétibus debitas pœnas cóſtituat. Demú omnibus ad finem vſq; Reipub. pertractis, animaduertat ſtatuátq; neceſſe eſt, quomodo monumenta mortuis extrui, quiue defunctis ſingulis honores impendi debeát. His denique declaratis, legiſlator omnibus iſtis cuſtodes præficiet, alios prudentia, alios vera opinione rem adminiſtrátes, vt mens in vnum hæc omnia colligens eò deducat, vt temperantiá & iuſtitiá potius quá diuitias ambitionémue ſequatur. Ita equidem hoſpites voluiſſem, atq; etiá volo à vobis exponi, quo pacto in legibus Iouis & Apollinis Pythij, quas Minos & Lycurgus ſcripſerunt, inſint hęc omnia, & quónam ordine poſita pateant illi qui artificio vel vſu quodá legum petitiam habet, nobis verò aliis nullo modo pateát. CL. Quo pacto igitur hoſpes quæ ſequútur tractáda ſunt? ATH. Ab initio rurſus, vt ſuprà cœpimus, tractáda in primis ea mihi videntur, quæ ad fortitudinem pertinent, deinde aliam atq; aliá virtutis ſpeciem tráſigemus, ſi vobis etiá ita placet ac primú iam pertractemus, ad eiúſq; exemplar cætera, vt cófabulatio leuamen nobis itineris adferat, poſtremò verò cú de vniuerſa virtute tractauerimus, ea quæ modò retulimus, illuc reſpicere, ſi deus voluerit, oſtédemus. CL. Rectè dicis, conaréq; primò nobis Iouis hunc laudatoré excutere. ATH. Conabor & te ſimul, & me ipſum. Ad vtrúq; enim pertinet & me & te hæc oratio. Dicit igitur. Nú conuiuia ea quæ in commune fiút & gymnaſia, ad bellú à legumlatore inuenta fuiſſe diximus? CLI. Vtiq;. ATH. An tertiú vel quartú ad idem inuétum fuiſſe dicendú? Fortè enim ita dinumerare oportet, tum in hoc virtutis genere, tú in cæterarú virtutum ſiue parte, ſiue quomodocunq; aliter declarationis duntaxat gratia nominare deceat. MEG. Tertiú verò ipſe dicerem, nec Lacedæmoniorú quiſquá negaret, venationem excogitatá fuiſſe. Quartú autem & quintum inuenire conemur. Quartú itaque pono apud meos præcipuú, ſcilicet doloris tolerantiá: quæ res pugnis inter ſe ac rapinis quibuſdá, multis cú vulnerib⁹ quotidie adhibetur. Ad hęc occultatio quædá mirabilis nominatur, & ad tolerantiá valida & quòd nudis in hyeme pedibus, abſq; ſtratis, & ſine miniſtris ipſi ſibiipſis inſeruiétes die noctéq; ꝑ omné regioné oberrant. Præterea in nudorú exercitationibus adoleſcentum mirabilis apud nos tolerantia, cùm intenſi caloris vi reſiſtendum ſit. Multa huiuſmodi apud nos alia ſunt, quæ nó facilè quiſpiam enumeraret. ATH. Probè loqueris hoſpes Lacedæmonie, ſed vtrú ad timores ſolum atq; dolores fortitudini pugna eſt dútaxat? an etiam ad cupiditates

voluptateſq́;, ac vehementes quaſdam blanditias,
quæ eorum etiam qui honeſti videntur, animos fle
ctūt, & quaſi cæcos faciūt? MEG. Aduerſus, hęc om
nia ATH. Si ſuprà dictorū meminimus, hic ciuitatē
aliquam ſeipſa inferiorem, & virum aliquem infe-
riorē ſeipſo eſſe dicebat. Itáne hoſpes Gnoſie? CL.
Ita prorſus. ATHE. Vtrum igitur eum qui dolore
frangitur, an eum qui voluptate ſuperatur, deterio-
rem vocare oportet? CLI. Eum arbitror qui ſupe-
ratur à voluptate: omneſq; voluptate illaqueatum
hominem, inferiorem ſeipſo magis, & quidem cum
opprobrio, quàm dolore demolitū putant. ATH. An
igitur Iouis & Apollinis legumlatores claudam for-
titudinem poſuerunt, quæ ad ſiniſtram quidem ad-
uerſis reſiſtere poſſit, ad dextram verò, rebus ſecun
dis & lætis, blandientibuſq; ſuccumbat; imò ad v-
trumq; ſufficiētem. CLI. Ad vtrunq; arbitror. ATH.
Exponamus itaq; ſimiliter quænam officia veſtris
in ciuitatibus ſunt, quæ guſtent quodammodo vo-
luptates non fugiant omnino, quemadmodum nec
dolores refugiūt, ſed perinde vt in doloribus fit, du-
cant in medias voluptates, ad eáſque ſuperandas ho
mines partim vi impellantur, partim honoribus in-
uitentur. Vbinam veſtris in legibus id conſpicitur,
quod ęquè contra voluptates ſicuti contra dolores,
homines fortes efficiat? victoréſq; quorū oportet,
oſtendat, nec vllo modo patiatur à proximis cuique
intra ſe, & grauiſſimis hoſtibus ſuperari? Dicite ob-
ſecro, quid apud vos tale? MEG. Non ita facilè ho-
ſpes, quemadmodū multas dolori oppoſitas leges,
ita etiam voluptati poſſem producere: nec magnas
perſpicuaſq; partes aduerſus voluptates habeo, par-
uas verò forſan reperiam. CLI. Nec ego in Creten-
ſium legibus ſimiliter id oſtendere poſſem. ATH.
Nec mirum eſt, optimi hoſpites. Verùm ſiquis in-
ter nos veri & optimi diligens inueſtigator nonni-
hil in patriis cuiuſque noſtrum legibus repræhen-
dat, nō graui quidem, ſed æquo animo viciſſim fer-
re debemus. CLIN. Probè loqueris, Athenienſis ho-
ſpes. Quare tibi parendum cenſeo. ATHE. Profectò
nō aliter Clinia huius ætatis & conditionis qua vos
eſtis homines, facere decet. CLI. Non certè. ATH.
Vtrùm rectè nécne, Laconicam & Cretenſem Rē-
pub. quis repræhendere poſſit, alia quæſtio eſt. Quæ
verò à multis dicuntur forſitan ego magis quá vter-
que veſtrûm referre poſſim. Vobis quidē etſi rectè *Lex optima.*
conſtitutæ ſint leges, vna certè lex eſt optima, quæ
iubet nequis iuuenū quærere audeat, rectène an cō
trà ſe leges habeant, ſed vno omnium ore, vnaq; vo
ce rectè tanquam à diis poſitas cōcedi pręcipit, nec
vllo modo aliter pati quicquá à quoquá dici: Senem
autē ſi quid excogitarit, principibus & æqualibus,
nemine iuuenum audiente, referre. CLIN. Rectè lo-
queris hoſpes, ac licet tunc à mente conditoris ab-
fueris, tamen tanquam vates ſcitè iſta nunc conie-
ciſſe videris, veráque penitus dicere. AT. Itaque
nobis ad præſens iuuenes nulli adſunt, ipſi verò pro-
pter ſenectutē ſine peccato ſoli de his inter nos diſ-
ſerere à legiſlatore permittimur. CLIN. Eſt vt dicis.
Quare ne parcas, ſed liberè leges noſtras reprehen-
de. Neque enim indecorum eſt, ſiquid nō probè ſe
habet noſſe. Nam hinc ſiquis non cum inuidia, ſed
animo beneuolo accipiat, remedium inuenitur. A-
TH. Præclarè tu quidem. Ego verò non ante repræ-
hendam quàm pro viribus diligenter conſideraro,
imò dubitandó potius verba faciam. Solis enim vo-
bis Græcorum barbarorumque omnium, quorum
notitiam habemus, legiſlator præcipit à maximis
voluptatibus iucundiſſimiſque ludis cauere, nec ex
his quicquam deguſtare. De doloribus autem & ti-
moribus, quod modo diximus, ſic cenſuit: ſiquis à
primis annis eos declinare aſſueſcat, fieri vt quo-
ties dolores, metus, atque labores neceſſarios ſubire
oportet, fugiat illos qui in his exercitati ſunt, eiſque
ſeruiat. Hoc ipſum vt ego arbitror, oportuit eū de
voluptate etiam cogitare, ac ad ſeipſum dicere: ſi
ab ineūte ætate maximarum ciues voluptatum ex-
pertes erūt, nec docti continere ſe in voluptate, ni-
hilq; turpe iucūditatis voluptuariæ gratia facere, ita
ſuccumbent, quemadmodū qui timore vincuntur,
& modo quodam alio ac turpiore ſeruient, his qui
mediis in voluptatibus ſeſe continere aſſueti ſunt:
& qui inter voluptates conuerſantes, oblectamen-
ta ſibi ſuppeditare poſſint, peſſimi forſan homines.
Atque ità animum partim ſeruum, partim liberum
habebūt, nec omnino fortes ac liberi appellari de-
bebunt. Cōſiderate igitur ſiquid ex dictis probè vo-
bis dici videtur. CLIN. Videtur quidem. Sic enim
oratio eſt. Sed iuuenum, imò verò amentium peni-
tus eſſet, de tantis rebus ſtatim ac facilè aſſentiri.
ATHE. Quid igitur? num quæ propoſuimus nunc
proſequemur, ó Clinia, hoſpéſque Lacedæmonie:
poſt fortitudinem enim de moderatione dicamus,
quæ differentia ſit inter has & cæteras Reſpub. quæ
caſu non lege gubernari videntur, quemadmodum
nūc de bello? MEG. Non eſt fermè id facile. CLI. Vi-
dentur tamē cōmunia cōuiuia certamináq; gymna
ſtica commodè vtriſque adinuenta fuiſſe. ATH. Vi-
detur ſanè, ô hoſpites, arduū eſſe in Rebuſp. vt ver-
bis, ita & re ipſa, vndiq; tutū aliquid certúmq; in-
ducere. Nam quemadmodum in corporibus fieri
nō poteſt, vt aliquod vnum vni corpori ſtudiū ac-
cōmodetur, q nō idē hoc partim ipſi prodeſſe, par-
tim obeſſe videatur: ſic & in ciuitate. Nempe gym-
naſia & ſodalitates alibi quidē ciuitatibus cōferūt,
in ſeditionibus autē obſunt omnino. Cuius rei Mi-
leſij, & Bœotij, & Thurij nobis exemplo ſunt. Atqui
hæc ſtudia priſca, vidētur veteres & naturales circa
venerea voluptates non in hominib. ſolū, ſed in be-
ſtiis peruertiſſe. Qua in re primæ ciuitates veſtræ
poſſent accuſari, & aliæ omnes quibus curá gymna
ſticarum exercitationum maximè fuit. Ac ſeu ioco
ſiue ſeriò cogitare oportet, cogitandum eſt, quòd
cùm fœmina & maſculus ad generandum conue-
niunt, huiuſmodi voluptas ſecundū naturá his tri-
buta videtur. Quòd mares autem maribus aut fœ-
minæ fœminis commiſcentur, præter naturá volu-
ptas ea eſt. Et qui primū tale facinus auſi ſunt, volu-
ptatis incontinentia id fecerūt. Omnes porrò Cre-
tēſium fabulam de Ganymede vehementer culpa-
mus, quòd aduerſus Iouem ficta ſit, vt cùm ab eo le-
ges ipſorum originem habuiſſe credātur, eum deū
imitantes q leges tradidit, hac etiá voluptate fruan
tur. Sed fabula quidem valeat: eorum autem qui de
legibus conſiderant, cogitatio penè omnis de volu-
ptatibus & doloribus tam circa publicos, quàm cir-
ca priuatos cuiuſque mores eſſe debet. Duo nanq; *Duo fontes dolor. & voluptat.*
hi fontes natura ſcaturiūt: à quibus qui haurit, vn-
de, quádo, quantúq; oportet felix eſt, priuatus ſci-
licet & ciuitas omnéq; animal: qui autem inſipien-
ter & præter opportunitatem contrà viuit, infelix.
MEG. Rectè iſta dicūtur, ô hoſpes, nec quid aduer-
ſus hæc dici poſſit, videmus. Videtur autem mihi
Lacedæmoniarum legum conditor rectè fugien-

das eſſe voluptates iuſſiſſe. Gnoſiis autem legibus
Clinias hic, ſi volet, opitulabitur. Ná apud Spartia-
tas, quæ ad voluptates pertinent, optimè omnium
diſpoſita eſſe arbitror. Quo enim omnes homines
ſummopere in voluptates vehementiſſimas, petu-
lantiámq; & inſaniam incidūt, id ab vniuerſa regio-
ne lex noſtra exterminauit: nec in agris, nec in vrbi-
bus quas Spartiatæ gubernant compotationes vi-
debis, ſed nec cōpotationibus cōiuncta, quibus ad
omnes voluptates mouemur. Nec vllus eſt, qui cui-
dam ebrietate laſciuienti obuiam factus, non maxi-
mo ipſum ſuplicio ſtatim afficiat, neq; Bacchana-
lium tempus ipſum liberet. Quemadmodum apud
vos in curribus vidi, & apud Tarentinos qui noſtri
coloni ſunt, omnem in Bacchanalibus ebriam ciui-
tatem. Apud nos autem nihil tale conſpicitur, ATH.
Laudanda hęc omnia ſunt, ô hoſpes Lacedæmonie,
vbi continentia quædam eſt: vbi autē omnino per-
mittuntur, emolliunt. Citò enim aliquis noſtra de-
fendens, te repræhendat, ſi mulierū apud vos licen-
tiam oſtendat. Vna certè in omnibus his & Tarenti-
nos & nos, imò verò & vos reſponſio liberat, quòd
hæc probè, nō improbè ſe habeát. Quiſq; enim pe-
regrino admiranti quod inſolita videat, reſponde-
re poterit: Noli mirari, ô hoſpes, hæc apud nos ex-
tat lex. Apud vos autem iiſdem de rebus forſan alia
lex eſt. Nobis verò in præſentia, ô amantiſſimi vi-
ri, non de hominibus aliis ſermo eſt, ſed de cōditio-
rum ipſorum virtute ac vitio. Verùm latius de vni-
uerſa ebrietate dicamus. Non enim exigua res eſt,
neq; ad quéuis legiſlatorem iudiciū eius ſpectat. Nō
dico vtrum bibēdum ſit vinum nécne, ſed de ebrie-
tate quærendum inquam, vtrum ita vtendum ſit,
quemadmodum Scythę ac Perſæ vtuntur, Cartha-
ginenſes præterea & Galli, & Hiſpani, & Thraces,
quæ omnes gētes bellicoſiſſimę ſunt: vel quéadmo-
dū vos q vt ais, omnino abſtinetis. Scythæ verò ac
Thraces mero penitus vtuntur tam viri q mulieres
ac mero veſtes perfundunt, præclarū hoc & beatū
vitæ genus exiſtimantes. Perſæ verò aliis quoq; de-
liciis, quas vos ſpernitis, valdè vtuntur, quanuis mo-
deratius q iſti, vir optime. MEG. Sed omnes iſtos
nos tum cum arma cepérimus fundimus atq; fuga-
mus. ATHEN. Noli hæc, ô vir optime, dicere. Per-
multæ nanq; & fugæ & inſectationes & factæ ſunt,
& fient, de quibus certa quædá eiuſmodi cauſa red-
di non poteſt. Quare non certum, ſed ambiguum
argumentum ſignúmq; de honeſtis officiis & con-
trariis in vita ſumemus, ſi ad victoriá belli fugámq;
reſpexerimus, præſertim cùm minores ciuitates à
maioribus in ſeruitutem pugnando redigantur, vt
à Syracuſanis Locrēſes, qui optimis inter eas gen-
tes legibus vſi ſunt, & ab Athenienſibus Cei, ſimi-
liáq; huiuſmodi multa liceat intueri. Igitur victo-
ria & offenſione belli prętermiſſa, conemur de vno-
quoque officio ſecundum ſe cōſiderantes, quod in
quoq; verū eſt, nobis perſuadere. Dicamus autem
quemadmodum hoc quidem tale, bonum eſt: illud
autem tale, non bonum. Sed in primis me audiatis,
quomodo in huiuſmodi rebus bonū malúmq; con-
ſiderari debet. MEG. Quo pacto id ais? ATH. Qui-
cunq; rem aliquam ſtatim in diſputatione propoſi-
tam vituperant aut laudant, delinquere mihi vidē-
tur, idémque facere, ac ſiquis cerealē cibum ab ali-
quo laudatum vt bonum, ſtatim vituperet prius
quàm eius effectus percipiat, & qua ratione, qui-
bus, cum quibus, quomodo præparatus, & quo-
modo affectis corporibus offerri debeat. Quod nos
modò facere in diſputádo videmur. Qui cum pri-
mum ebrietatis facta mētio eſt, ſtatim alij vitupera
mus, alij verò laudamus, & valde quidem id abſur-
dè. Teſtibus enim aſſertoribuſq; vtrinq; vtētes, alij
quia plures habemus, aliquid fide dignum afferre
putamus, alij quia vino abſtinentes vincant in pu-
gna, quod tamen ambiguum nobis eſt. Si ergo hoc
modo etiá in aliis procedemus, nihil mea quidem
ſentētia faciemus. Sed vt mihi quidem videtur, co-
nabor, ſi potero, ipſius ebrietatis exemplo, viam no-
bis ac rationē rectam in huiuſmodi omnibus ape-
rire, præſertim cū gentes innumerabiles de eiſdem
dubitantes, duabus cum ciuitatibus veſtris conten-
dant. MEGI. Audiendum eſt omnino ſiqua de his
recta conſideratio inuenitur. ATHEN. Conſidere-
mus itaque ſic. Siquis caprarum curam, & genus id
animātis habendum ac poſſidendum probet, alius
verò vituperet, cùm abſque paſtore eas per ſata pa-
ſci damnumq́; facere viderit, & omne adeò pecuſq;
vel ſine paſtore, vel malis paſtoribus gubernatū cō-
ſpexerit, nunquid iuſtam eius vituperationem cen
ſebimus? MEG. Nullo modo. AT. Gubernator verò
nauis num bonus ſi gubernádi ſolummodo artem
habeat, ſiue nauſea exagitetur aut nō? aut quo tan-
dem pacto dicetur? MEGI. Nihil ad ad artem nau-
ſea facit. ATHEN. Quid autē ductor exercitus? Si-
bellandi probè teneat artem, nunquid ex hoc ſuffi-
ciens dux putandus eſt, etiam ſi timidus ſit, & in pe-
riculis ebrietate quadá metus ipſius nauſeet? MEG.
Quónam modo? ATHEN. Quid porrò, ſi neque ar-
tem habeat, & ſit timidus? MEG. Ignauum & inuti-
lem narras omnino, neq; virorum, ſed vilium qua-
rundam mulierum principem. ATHEN. Qui verò
laudat aut vituperat ſocietatem aliquam, cuius eſſe
dux aliquis ſoleat, ſitq́; vtilis ſocietas quoties ſuum
nacta eſt gubernatorem, ille verò nunquam eam re
ctè viderit gubernatam, ſed ſemper aut abſq; princi
pibus, aut cū improbis, nunquid rectè vnquam vi-
tuperare eá, aut laudare poterit? MEG. Quo pacto
id faciet qui nunquá ſocietatem rectè gubernatam
proſpexerit? ATHE. Age iam attende. Compota-
tores compotationéſq; nónne ſocietatem quandá
de multis vnam dicemus? MEG. Summoperè. ATH.
Hanc verò nunquid vnquam rectè gubernatá aſpe
xit quiſquam? Sed vobis reſpondere facilimū, nun-
quam id perſpexiſſe. Neq; enim id vobis ex patriis
legibus conſuetum. Ego autem multis paſſim inter-
fui, diligentérq; de omnibus, vt breuiter dicá, quæ-
ſiui, nullámque fermè rectè vniueſam adminiſtrari
aut vidi vnquá aut audiui, ſed particulas quodam-
modo paruas quaſdam & paucas, plerunque verò
vniuerſa, vt ſic dixerim, erronea. CLINIA. Qua
ratione hæc dicis, ô hoſpes? Apertius enodato. Nos
enim, vt aiebas, cùm nullam huius rei peritiam ha-
beamus, non ilicò quid rectè, quid minus in ea fiat,
cognoſcere poſſumus. ATHEN. Conſentaneum id
quidem, ſed conare me dicente perdiſcere. In omni
conuentu atq; communitate quaruncunq; rerū ge-
rendarum principem eſſe oportere fateris? CLIN.
Proculdubio. ATHENI. Atqui paulò antè diceba-
mus fortem eſſe pugnantium principem oportere.
CLIN. Dicebamus. ATHEN. Fortis autem vir a ti-
more minus quàm timidus perturbatur. CLIN. Eſt
ita. ATHEN. Siquis modus inueniri poſſet vt exer-
citui ducem prorſus intrepidū præficeremus, nón-
ne ad id omni ſtudio niteremur? CLIN. Maximè.

ATHEN. Nunc autem non de exercitu, nec imperaturo aduerſus hoſtes in bello, ſed de gubernaturo in pace iucundam amicorũ inter ſe conſuetudinem dicimus. CLI. Sic eſt. ATHE. Ea ſocietas, ſiquidem ebrietas aderit, tumultu carebit? nónne? CLI. Quo modo? at contrarium puto. ATH. Primum igitur etiã his opus eſt duce. CLI. Maximè omnium. ATH. Verũ igitur principem, qui non perturbetur, ſi fieri poſſit, deligere oporteat? CLI. Oportet ſanè. ATH. Societatis conciliandæ peritum hũc principem eſſe oportet, eius enim officium eſſe debet, vt & præſentem amicitiam illis conſeruet, & maiorem inſuper ex eo contubernio fieri procuret. CLIN. Vera loqueris. ATHE. Nónne igitur ſobrius & ſapiens ebriorum princeps, haud contra conſtituendus eſt? Nam & ſi iuuenis, & non ſapiens, ſed ebrius erit, ebriorúmve princeps, bonæ fortunæ, non conſilio imputabitur, ſi temeritate ſua non euertet omnia. CLINI. Optimè ſanè. ATHEN. Siquis ergo compotationes, dum, quoad fieri poſſet, rectè in ciuitate diſpoſitæ ſint, accuſaret, rẽ ipſam accuſans, rectè faceret forſan. Sin autem erroneum quàm maximè ſtudium quis videns conuiciatur, primùm quidem patet ignorare eum non rectè id fieri deinde conſtat omnia eodem modo, ſi abſque ſobrio domino ac principe fiant, improba viſum iri. An non animaduertis quod ebrius nauis aut cuiuſuis rei alterius gubernator euertit omnia, ſiue naues, ſiue currus, ſeu exercitus, ſeu quoduis aliud ab eo regatur? CLI. Verè omnino id dixiſti hoſpes, ſed & hoc pro nobis expone. Quid nobis compotationes hæ, ſi rectè aguntur, conferent? Vt quod modò dicebamus, rectè ductus exercitus victoriam in bello afferret, bonum profectò non paruum. Idemque de cæteris iudicandum, compotatione verò rectè gubernata, quid magni vel ciuitati vel priuatis accederet? ATHEN. Quid autem puero vno, vel vno quodam cœtu rectè inſtituto, magni ciuitas adipiſcetur? At enim ita de hoc interrogari reſpondebimus, paruam ex vnius duntaxat educatione ciuitati vtilitatem accedere. Si autem in vniuerſum de iuuenum bene inſtitutorum eruditione quid potiſſimum conferat reipublicæ quæras, haud difficile dictu erit. Bene enim eruditi, viri probi euadent. Probi autem facti, tum cætera bene agent, tum etiam hoſtes pugnando vincent. Diſciplinæ vtique victoriam præſtat, victoria nonnunquam negligentiam & ruditatem gignit. Multi enim in victoria elati, alia quoque vitia multa per inſolentiam contraxerunt. Et diſciplina quidem nulla vnquam Cadmea fuit. Victoriæ verò multæ huiuſmodi & fuerunt & erunt. CLI. Videris, ô amice, quaſi magnam diſciplinæ partem, communem in vini potu conſuetudinem, ſi rectè fiat, laudare. ATHENI. Profectò. CLI. Poteris ergo deinceps verum id eſſe oſtendere? ATHE. Vera hæc ita eſſe, ô hoſpes approbare, cùm multi de eis ambigant, ſolius dei eſt, tamen ſi quod ſentio dicam, nulla arbitror inuidia obſtabit: de legibus enim & repub. verba facere in præſentia ſtatuimus. CLIN. Age conemur quod tibi de his ambiguitatibus videtur perdiſcere. ATHE. Ita decet. Oportet autem vt vos ad diſcendum, ego ad docendum, orationem omnem conuertamus. Ac primum illud audiatis. Græci omnes ciuitatem noſtram & verborum ſtudioſam iudicant & verboſam. Lacedæmonem verò atque Cretam, alteram breuiloquam, alteram intelligentiæ magis quàm verbis ſtudentem. Vereor itaque ne vobis tanquam verboſus parua de re loqui multa videar, dum de ebrietate re quidem parua, nimis longa vtor oratione. Compotationis autem ipſius recta ſecundum naturam cõſtitutio nunquam poterit ſine recta muſicæ regula apertè & ſufficienter oratione tractari, nec muſica ſine vniuerſa diſciplina. Quæ omnia profectò multis indigent verbis. Videte igitur quid agendum ſit. An his in præſentia prætermiſſis, ad aliam quandam legum quæſtionem iam tranſeundum? MEGI. Ignoras forſan, Athenienſis, hoſpes familiam noſtram communẽ ciuitatis veſtræ hoſpitẽ eſſe. Et quod omnibus arbitror pueris accidit, vt cum audiũt ſe ciuitatis alicuius hoſpites eſſe, beneuolentia quædam erga illam quaſi alteram patriam confeſtim à teneris vſq; annis eorum illabatur, mihi quoque contigit. Audiebam equidem pueros Lacedæmonios quoties aliquid vel ſuccenſerent Athenienſibus, vel laudi darent, ita dicere, Veſtra, ô Megille, vrbs nobis id mali intulit aut boni. Atque hæc audiens, pugnabam aduerſus eos qui vos vituperabant, magna erga vos affectus beneuolentia. Ac mihi quidem nũc veſtra vox valdè iucunda eſt, quodq; vulgo fertur, Probos Athenienſes, præcipuè probos eſſe, verè prorſus mihi dictum videtur. Soli enim ſuapte natura, diuina quadam ſorte, non coacti, neque ficti, ſed verè probi ſunt. Quare mea quidẽ cauſa liberè quodcunque velis enarrato. CLIN. Si me quoque audies hoſpes, quæcunque in mentem tibi veniant, ſumma fiducia proferes. Fortaſsè nanque audiſti Epimenidem virum fuiſſe diuinum, qui ex familia noſtra fuit, ac decem annis antè Perſicum bellum dei oraculo monitus ad vos peruenit, & ſacrificia quædam dei oraculo edita fecit, Athenienſibúſque Perſicam formidantibus claſſem prædixit, decennio Perſas nequaquam venturos, ſed & poſtquam venerint, infecta re diſceſſuros, pluráque perpeſſos mala quàm fecerint. Tunc quidem maiores noſtri veſtros hoſpitali affectu complexi ſunt, & ex illo tempore parentes noſtri egóque vobis beneuoli ſumus. ATHENIENSIS. Parati ergo vos quidem eſtis audire, vt videmini. Ego autem ad dicendum voluntate promptus ſum potius quàm facultate paratus. Conabor tamen vt potero. Primum verò quod ad hunc ſermonem, quid diſciplina ſit, quámque vim habeat, definiamus. Per hanc enim eundem eſt diſputationi à nobis in præſentia inſtitutæ, quouſque ad Deum ipſum perueniat. CLIN. Ita certè faciendum eſt, ſi tibi placet. ATHENIE. Dum ergo quid diſciplina ſit dico, conſiderate nunquid mea vobis ſententia placeat. CLIN. Dicas. ATHENIENSIS. Aſſero equidem eos qui præſtãtes viri in aliquo euaſuri ſunt, ab ineunte ſtatim pueritia oportere id ipſum tam ludendo quàm ſtudendo in ſingulis ei negotio conuenientibus meditari. Nempe ſi quis peritus agricola aut ædificator futurus eſt, ludentem oportet à prima ætate vel colere terram, vel pueriles quaſdam domos ædificare: atque eum qui educat vtrunque, vtrique inſtrumenta quædam parua, verorum inſtrumentorum imagines, præparare. Ex doctrinis quoque eas perdiſcere debent, quæ ad rem ſuam faciunt. Quippe futurus faber menſurare ac regula vti: Eques futurus equitare ludendo, aut aliquid huiuſmodi facere. In omnibus enim ludendo conari debemus, vt eò voluptates & cupiditates

Athenienſis bonus valde bonus.

Epimenides.

tates puerorum vertamus, quò eos tandem peruenire cupimus. Caput autem diſciplinæ rectam educationem dicimus, quæ ludentis animum in amorem precipuè illius perducit, quod virili ætate perfectè cõparata virtute artis eius iam eũ facere oportebit. Sed conſiderate nunc vt dicebam, ſi quæ dicta ſunt hactenus, vobis probantur. CLIN. Quid prohibet? ATH. Neque tamen indeterminatum relinqui debet, quid potiſſimum diſciplinam eſſe dicamus. Cùm enim vituperamus aut laudamus ſingulorũ educationes, dicere ſolemus diſciplina inſtructũ hunc eſſe, illum diſcplinæ expertem, quanuis cauponariam & nauigandi artem cæteráq; huiuſmodi optimè calleat. Quippe non hanc diſciplinam putamus, ſed eam quæ à pueritia deſiderari amarique virtutem facit: & quidem illam, qua perfectus quiſpiam ciuis effectus, iure imperare ſciat, atque parere. Hanc educationem hic ſermo ſolam diſciplinam appellandam eſſe docet. Illam verò quæ ad colligẽdam pecuniam, vel ad corporis robur augendum, vel ad peritiam quandã aliam abſq; mente & iuſtitia cõquirendam tendit, mecanicam atque illiberalem, & diſciplinæ appellatione indignam ducit. Sed nos de verbo quidem non contẽdamus. hoc autem paulò antè aſſertũ, inter nos conueniat, quòd qui rectam nacti ſunt diſciplinam, omnes fermè probi euadunt: qui contrà, improbi. Quare nulla in re diſciplina negligẽda eſt, quæ præclariſſimarum rerũ prima præſtantibus hominibus adeſt. Et ſi quis in re aliqua excidit, poteſtq; corrigi, ſeipſum emendet, idq; per totam vitam pro viribus faciat. CLIN. Rectè loqueris. Idcirco quæ dicis concedenda ſunt. ATHE. Atqui olim iam conceſſimus, bonos eſſe illos qui ſibimet imperare poſſunt, malos autẽ qui nequeunt. CLIN. Scitè admodum. ATHE. Reſumamus igitur idipſum vt clarius innoteſcat quod dicimus. Ac vos per imaginẽ id vt liqueat accipiatis, ſi quo modo poſſim rem vobis hanc aperire. CLI. Dicam. ATHE. Nónne quemlibet noſtrûm vnum putamus? CLI. Vnum. ATH. Habentem videlicet in ſe conſiliarios duos, contrarios atque amentes, quos voluptatem ac dolorem appellamus. CLINI. Et hoc. ATHE. Ad hos futurorum opiniones accedunt, quibus commune nomẽ ſpes eſt: propriè verò quæ ante dolorem ſpes eſt, timor: quæ ante contrariũ, confidentia. Ad hæc omnia rationis iudicium, dictans qui iſtorum melius ſit, quid peius. Hoc ſi commune decretũ ciuitatis efficitur, lex nominatur. CLIN. Vix ego te ſequor. Dic tamen quæ reſtant, perinde ac ſi ſequerer. MEG. Idem mihi quoque accidit. ATHE. Sic autem de his cogitemus, vt miraculum quoddam diuinũ in animãtium genere vnumquenq; noſtrum exiſtimemus, ſiue ioco ſiue ſerio (non enim id nouimus) à ſuperis cõſtitutum. Illud autem non ignoramus, quòd hi affectus in nobis quaſi nerui aut funes ingeniti trahunt nos inuicem retrahũntq; ad contrarias actiones, vbi virtus, vitium diſcreta verſantur. Ratio enim tractionem vnam ſequendam ſemper, neque vnam relinquendam, ſed hac cæteris omnibus obtinendum eſſe edicit, eámque rationis ductionem eſſe auream atque ſacram, quę ciuitatis lex communis vocetur. Et cæteras duras ac ferreas eſſe, hanc mollem, quòd aurea ſit: & vniformẽ præterea, cęteras multiformes. Oportere itaq; pulcherrimæ nos legis ductioni ſemper auxilium ferre. Nam cùm rationis iudicium honeſta res ſit, & mitis quidem potius quàm violenta, miniſtris ductionem ipſius egere, vt aurum in nobis genus alia genera ſuperet. Et ſic fabula, qua mira res homo eſſe narratur, virtute ſeruabitur: & qua ratione ſuperior quis & inferior quodámodo ſeipſo dicatur, planius cognoſcetur: & quod oporteat vnumquenque vera in ſeipſo de his tractationibus ratione perceptа, ad eam ipſam vitam omnem ſuam dirigere. Ciuitatem verò, vel à deorum aliquo, vel ab hoc ipſo qui hoc cognouit, ratione accepta eam habere pro lege, ad eiúſque normam officia ſua ſecum, & cum aliis ciuitatibus inſtituere: atq; ita virtus, & vitium clarius nobis diſtincta patebunt: quibus planè perceptis, & diſciplina & reliqua ſtudia magis forſan eluceſcent. Et ille in potationibus receptus nunc mos, quo de vile fortaſsè putabitur, ſi pluribus dicam. CLIN. Fortè non videbitur prolixa oratione indignum. ATHE. Probè loqueris, quare dicamus quid in ea maximè dignum videatur. CLIN. Proſequere iam. ATHE. Si miræ huic rei ebrietatem addamus, qualem ipſam reddemus? CLI. Quorſum iſtud rogitas? ATHE. Nondum dico. Sed ſi mira hæc res illi ſe commiſceat, qualis redditur? Verùm apertius etiam quod volo, dicere conabor. Tale quiddam interrogo. An vini vſus voluptates, dolores, iras, amores vehementius concitet. CLI. Maximè quidem. ATHE. Vtrum etiam ſenſus, memoriam, opinionem, intelligentiam ſimiliter vehementiora efficiat. An prorſus extinguat, ſiquis ebrietate fuerit occupatus. CLIN. Omnino certè extinguit. ATH. Ad eum igitur animi habitum redit, quem puer primis ab annis habebat. CLI. Profectò. ATH. Quare minimè tunc ſuiipſius compos erit. CLI. Minimè. ATHE. Erit itaque peſſimus. CLI. Valdè. ATHE. Non ſolùm igitur ſenex, vt videtur, bis erit puer, ſed ipſe etiam temulentus. CLI. Optimè id hoſpes eſt dictum. ATHENI. Poteritne ratio nobis aliqua ſuadere hanc rem aliquo pacto guſtandam eſſe, neque eſſe totis viribus fugiendam? CLI. Poterit forſitan, vt ais, & modò paratum te dicere oſtendebas. ATHE. Optimè meminiſti. Nempe & nunc paratus ſum, quandoquidem vtrique haud grauatim audire promiſiſtis. CLI. Quidni audiamus, & ſi non ob aliud, tamen quia mirum abſurdúmque videtur, ſi oportebit quãdoque hominem ſponte ſeipſum in omnem prauitatem abiicere? ATH. Animine dicis? CLI. Animi. ATH. Nunquid autem mirabimur, ô amice, ſi quis in corporis prauitatem, maciem dico, deformitatem, imbecillitatem ſponte deueniat? CLINIA. Quidni? ATH. An igitur putamus eos qui vltro medicorum pharmaca accipiant, ignorare ſe paulò pòſt ita corpus per aliquot dies affectum habituros, vt ſi affectum ſimiliter perpetuò ſint habituri, venire nolint? An etiam ignoramus eos qui gymnaſia, & labores ſubeunt, imbecilles laſſitudine confeſtim fieri? CLI. Hæc omnia nouimus. ATHEN. Atqui & iſtud, quòd cuncti futuræ vtilitatis gratia ad hæc vltrò tendunt. CLI. Præclarè. ATHENIENSIS. Nónne eodem modo de cæteris rebus exiſtimandum? CLI. Eodem prorſus. ATHENIEN. Non aliter quoque de compotatione vini cogitandum eſt, ſi datur hoc in iſtis rectè conſiderari. CLINI. Sic certè. ATHENIENSIS. Si vtilitatem aliquam habere perſpicietur nihilò inferiorẽ, quàm quæ in corporali exercitatione ineſt, bene eui-

Nocumenta à vino.

Temulentus etiam bis puer.

dem, principio tamen in hoc exercitationem corporis ſuperat, quod hæc dolorem habeat illa nõ habeat. CLIN. Rectè id quidem. Sed mirarer equidem, ſiquid tale in eo poſſemus percipere. ATHE. Hoc ipſum iam explanare conandum. Quare mihi dicas. An duas timoris ſpecies inuicem penè cõtrarias poſſumus cogitare? CLIN. Quas dicis? ATHEN. Has inquam, Timemus profectò mala, cùm futura expectamus. CLIN. Timemus. ATHE. Metuimus quoque ſæpenumero exiſtimationem, cùm formidamus ne dicendo aut faciendo aliquid minus honeſtum, mali videamur. Quem quidem timorem nos, imò omnes, vt arbitror pudorem appellamus. CLI. Cui dubium? ATHE. Hos equidem timores duos dicebam, quorum alter contrarius quidem eſt doloribus cæteriſque timoribus, contrarius eſt & plurimis ingentibuſque voluptatibus. CLI. Rectè admodum. ATH. Nónne igitur, & legiſlator, & quiuis alius qui prodeſſe hominibus quoquomodo poſſit, hunc timorem maximo honore colat, vocétque pudorem? confidentia verò huius contrariam, impudentiam nominet, ac maximũ priuatim & publicè malum hominibus arbitretur? CLI. Rectè dictum. ATH. Is vtique timor in aliis multis ingẽtibuſque nos maximè ſeruat, & in bello, ſi vnum vni cõparetur, hic certè maximè omnium victoriam nobis ſalutémque largitur. Duo enim ſunt quæ victoriam pariunt: aduerſus hoſtes quidem audacia, aduerſus amicos autem turpis infamiæ timor. CLINIA. Eſt ita. ATHEN. Intrepidum itaq; vnumquenque noſtrum, & timidum fieri oportet. Quamobrem verò ita vtrúque oporteat, iam diſtinximus. CLI. Omnino. ATH. Atqui quoties intrepidum aliquem reddere volumus, in multarũ terrorem formidinũ lege impulſum, talem efficimus. CL. Ita videtur. ATH. Quẽ verò, vt timeat quæ timenda ſunt, inducere volumus, eum profectò debemus rebus ad impudentiam declinantibus tentare, in pugna contra voluptates domeſticas, aut anteactę vitæ inſtitutum exercere, & ad victoriam cohortari: atque ita vincentem verè fortem reddere. Qui verò nec periculũ ſui fecerit vllum, neq; in his certaminibus exercitatus fuerit, ne mediam quidẽ ſuarum virium partem ad virtutem habebit. Tẽperatus autẽ quomodo erit perfectè niſi voluptatibus atq; cupiditatibus plurimis ad impudentiã & iniuriam compellẽtibus fortiter repugnauerit, ac ratione operéque & arte tam iocoſis quàm ſeriis in rebus deuicerit? An temperás erit inquá, qui nihil huiuſmodi ſit perpeſſus? CLIN. Haudquaquá veriſimile eſt. ATH. Sed dic oro, num aliquod ad inducendũ timorem pharmacum deus quiſpiá hominibus dedit, vt quanto plus ex eo quis bibat, tantò ex qualibet potatione infeliciorem ſe fieri putet, cũ omnia tá præſentia quàm futura ſibi metuat, atq; ad omnẽ formidinem etiam ſi fortiſſimus omniũ ſit, tádẽ deueniat: cũq; dormierit, & à potione huiuſmodi liberatus fuerit, rurſus ſibi idem quotidie accidat? CL. Et quam, ô amice, huiuſmodi potionẽ in hominum vita fuiſſe vnquá dicemus? AT. Nullam vtique. Tamen ſi reperiretur hæc potio, eſſétne ad fortitudinẽ cõditori legũ idonea, vt tale quid de ipſa dicere ad latorem legis poſſemus? Age primùm dic legum conditor, ſiue Cretenſibus, ſiue quibuſcunq; aliis leges conſcribis. Vtrum velles de ciuibus tuis poſſe fortitudinis, & ignauiæ periculum facere? CLI. Velle ſe profectò quilibet reſponderet? ATH. Deinde vtrum id tutò, neque magno imminente periculo, an contrà? CLI. Tutò ſcilicet atque ſecurè quilibet confitebitur. ATH. Num igitur potione hac vteris ita eos ad terrores compellens, & in ipſis perturbationibus arguens monitu tuo ac iuſſu, aut ciues tuos imperterritos facias; alios honorás, alios autem vituperás, ſi tuis monitis non paruerint? Atq; eos qui ſtrenuè exercẽdo ſe geſſerint, impunes relinquas: at eos qui cõtrà, pœna afficias? An nullo modo vtereris, quanuis nihil aliud habeas quod in ea potione accuſes? CLI. Cur non vtatur hoſpes? ATH. Exercitatio quidem, ô amice, pręter conſuetas, admiranda fuerit in otio, qua vel vnus vel pauci poſſunt, aut quotcunq; volueris exerceri. Ac ſiue quis ſolitario in loco ſolus ignominiam ob oculos ponẽs, quòd priuſquam profecerit videri nolit, ita aduerſus formidinem ſe exerceat, potione hac ſola præ multis rebus aliis pręparata, probè aliquid profectò efficiet: ſeu quis cõfidens natura ſe & vſu ſatis inſtructum, non formidet cum multis compotatoribus exercitari, vinúq; in populo neceſſario exhauriendo perdendóque oſtendere adeò præualens & exuperans, vt nulla in re magna per impudentiam erret, & propter virtutem ſtatu non moueatur, ac iuxta vltimam potionem ante ebrietatẽ diſcedat, apprimè cauens meri in omnes homines violentiam. CLI. Certè & hic, ô hoſpes, ita ſe gerens, moderatus euadet. ATHE. Rurſus ad conditorem legum ita dicamus. O legis conditor, neque deus tale ahuc hominibus timoris dedit pharmacum, neque ipſi excogitauimus. Ipſos nanque veneficos inter conuiuas non numero. Confidere autem valdè, & intrepidè audere in quibuſcunque pręterquã oportet, vtrum potio quędam an nulla eſt, quæ facit? CLI. Vinum eſſe dicet. ATH. Porrò contrà id facit quàm ea potio de qua modò facta eſt mẽtio. Nã cum biberit quis, primò magis placidus fit quàm prius erat: deinde quò plus biberit, eo maiore & meliore ſpe eſt, & fortius de ſe ſentit. Tandẽ quaſi ſapiens, ea homo confidentia, libertate, audaciáque repletur, vt intrepidè & dicat, & faciat quicquid placet. CLI. Arbitror equidem omnes id conceſſuros. MEG. Certè omnes. ATHE. Recordemur itaque nunc duo quædam eſſe, quæ in noſtris animis curãda ſuperius diximus. Alterum vt maximè confidamus, alterum vt maximè formidemus. CLI. De pudore dicta hæc exiſtimamus ATHE. Rectè tenetis. Sed quoniam fortitudinem imperterritíque animi habitum in timoribus addiſcere oportet, conſiderandũ nunquid contrarium addiſcere in contrariis conueniat. CLIN. Conſequens id eſt. ATHEN. In iis igitur quæ perpeſſi confidentes audacéſque maximè fieri natura ſolemus, cogitandum videtur vt quàm minimè impudentes & audaces ſimus, ſed contrà formidoloſi ad dicendum, aut patiendum, aut agendum quicquam turpe. CLI. Ita videtur. ATHE. Nónne hæc ita ſunt, in quibus tales ſumus, ira, amor, petulantia, inſcitia, auaritia, ſocordia, & ad hæc illa, diuitiæ, forma, vires, & quæcunque voluptatis ebrietate quadam homines amentes faciunt? Ad horum omnium leue & innocuum periculum faciendum, inducendámque exercitationem nullam habemus voluptatem commodiorem ea, quæ potione mores examinat, ſi modò prudens quædam cautio adhibeatur. Videamus enim. Duri & agreſtis animi, vnde iniuriæ mille pullulant, vbi experimentum capere tutius ſit, in commerciiſne,

quæ

quæ vel maximè ingenium declarare videntur, an Dionyſij ſpectaculis, aut venerea in re animo ſuccũbente, vt mores alicuius facto in rebus chariſſimis periculo, vel filiæ vel filij, vel vxoris pudicitia expoſita, probes? Equidem ſi infinita commemores, nũquam inuenies in quo per iocum, ſine omni prorſus periculo ſpectare ingenia ſicut in vino liceat. Qua de re neq; Cretẽſes, neque alios hominum vllos dubitaturos vnquam putamus, quin huiuſmodi morũ examinatio conueniens ſit, ac prę cæteris facilis, tuta, breuis. CLI. Verum id quidem. ATHEN. Hoc igitur vtiliſſimum quiddam erit, naturas & habitus animorum arte illa cognoſcere, qua iſta curãda ſunt. Eſt autem hoc, vt arbitror, ciuilis facultatis officiũ. An non? CLI. Sic eſt omnino.

DIALOGVS SECVNDVS DE LEGIBVS, VEL, DE LEGVMLATIONE.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

PLato noſter mirifica in genus hominũ charitate, nihil in diſputationibus ſuis intentatum relinquit, quod ad humanam ſalutem quanis ratione conducere videatur. Atque dum id ſtudioſè contendit, maluit vel prolixi nimium, vel etiam curioſiſſimi crimẽ ſubire, quam negligentiæ. Ergo exquiſitam in ſecundo etiam libro ætatis teneræ proſequitur diſciplinam. Animaduertẽs enim pueros fermè vt beſtias, quaſi nihil penſi habere, ſed & quocunque voluptas trahit, prorũpere, & vndecunq; retrahit dolor, protinus aufugere, non iniuria prius quã malè vel proſequẽdi, vel fugiẽdi proclinitas in habitu inoleſcat, aurigã pueritiæ equis impoſuit, voluptatis videlicet, & doloris habenas manus tenentẽ. Quẽ quidẽ aurigã nominat diſciplinã, virtutẽ ſcilicet, quæ primo pueris aduenit, qua voluptas & amor, dolorque & odium per alienam rationem rectè in animos influunt, antequàm ratione propriè moueantur: ratione deinde præſente, propriæ inſuper rationi conſentiunt, propter ſuperiorem bonorum morum conſuetudinem. Hanc ipſam conſenſionẽ, vniuerſam vult eſſe virtutẽ. Ipſam verò decentẽ circa voluptates & dolores aſſuetudinem, per quam ab initio vſq; ad extremũ vitæ homines oderint, quæ odiſſe oportet, & ament quæ amanda ſunt, quã diu ſub alterius regitur ratione, nominat diſciplinã. Deinde verò, cũ rationi propriæ iam expergefactæ cõſentit, nomine virtutis appellat. Eiuſmodi verò vitę moralis fundamentũ maximi eſſe momenti, vel Ariſtoteles ipſe in Ethicis magnopere cõprobat. Cùm verò inquieta ſit puerorũ natura, oblectamẽtorúmq; per omnia cupida, & idcirco ſeuerã nõ ſuſcipiat diſciplinã; meritò ſub honeſta muſicæ illius communiſſimæ voluptate virtutis veſtigia præferente, iubet pueros educari: imò verò & ſeniores interdũ, quibus ad laborioſæ vitæ ſolamen oblectamenta quædã honeſta ſunt adhibenda. Hanc vtiq; ob cauſam inquit deos laborioſam vitam hominũ miſeratos, haud ab re in laborũ remiſſionem ſolennia illis ſacra feſtaq; inſtituiſſe. Muſas quinetiã, & Apollinem, & Bacchũ ad hæc concelebranda duces adhibuiſſe, qui morum laſciuiã emendarent, & naturam auidam motionis per muſicam motionũ rationem moderarentur, honeſtéque delectarent. Hæc autem verba non ſolũ muſicæ vſum laudant diuinitus cõmendatum atque conceſſum, verumetiã allegoricè docent hominem multis de cauſis brutis fore miſeriorem, niſi diuina prouidentia atque cognatione diuinũ cultum religionẽmque ſuſceperit. In qua quidem Muſæ diuinam ſignificant veritatis inuentionem religioſis à Deo conceſſam: Apollo autem inuentionis eius gratiam expreſſionem atque vaticiniũ, Bacchus denique, tũ mentis abſtractionem, tum opera religioſorum hominum admiranda. Animaduerte harmonicam rationem nobis præcipuè à diuina prouidentia eſſe tributam, per quam omnes inquietæ naturæ motus qui ſuapte natura incocinni forent, concinnaremus. Sed à Muſis quidẽ habemus motionis animi conſonãtiã, ab Apolline præterea concentum in ſermonis cantúſque motu, à Baccho denique feſtinam in motu membrorũ concinnitatẽ. Dum verò de hac per muſicã diſciplina, & ad pueros omnino, & ad ſeniores etiam pertinente diligentiſſimè diſputat, eadẽ quæ & in Republica poſuit, repetit inſtituta, per quæ poetis, muſicis, pictoribus, nũquã licẽtia cõcedatur quodcunque voluerint imitãdi, ſed honeſta duntaxat & grauia pro ſalute ſpectantium & audientium imitentur. Imitationis autem iudices eſſe vult peritos homines atq; grauiſſimos, iubétque vt per honeſtã imitationẽ quotidie frequentatã adoleſcentes aſſueſiant in ludis omnibus pariter atq; ſtudiis ſemper rebus eiſdem, quibus & leges ſenioréſq; gaudere atque dolere. Quã quidẽ aſſuefactionem totum virtutis fundamẽtũ iudicat continere. Inter hæc nõ nulla memoriæ cõmẽdato ad præcepta morum plurimum conducentia. Iniuſtus etiã ſi cũcta quæ inter homines habentur bona, poſſideat, eſt infelix & quãdiu ita viuit: præſtare ei dicendũ eſt mori quàm viuere. Item quicunque honeſtũ, vtile, iucũdum, inuicem loquendo diſcreuerit, non eſt audiẽdus. Et quanis honeſta iuſtáq; vita poſſit interdum videri laborioſa, nunquam tamen id pueris eſt dicendum, imò verò iuſtiſſimam vitam fore omnium iucundiſſimam. Quod tandem fore neceſſariũ Plato aſſerit, quanis fortè iis quibuſcũ diſputat, aliter videatur. Idq; tacere iubet. Veritas tamẽ pulchrum quiddã eſt, & ſtabile. Deſcendit poſt hæc ad vini vſum quem vult à iuuenibus ante annum ætatis decimum & octauum penitus ignorari. Alioquin ignem inquit, ad ignem tam in animam, quàm in corpus infundi. Poſt hanc ætatem vinum moderatè tibi permittit. Poſt quadrageſimum verò annũ in cõuiuiis inter deorum hymnos cõcedit vinum liberius libere, quaſi remediũ aduerſus duritiã ſenectutis, per quod reiuueneſcere videamur, & mœſtitiæ nos obliuio capiat, ipſáq; affectio animi, ſicuti ferrum in igne, ex duria in mollitiẽ deducta flexibilior fiat. Quo effici vult, vt ſeniores qui alioquin cantare nollent, facti hilariores in conuiuiis ad iuniorum aures cantare velint, atq; vnà eorum animis, vt ita dixerim, incãtare. Qua quidẽ incãtatione per melodiam grauiter concinentem iuniorum animi tẽperentur. In his legendis, notabis gratiam ipſam, in rebus quidẽ pulchritudinem, in cognitione verò voluptatem cognominari. Notabis nullũ animal præter hominẽ rythmi & harmoniæ ſẽſũ habere. Atque rythmum eſſe ordinem in tempore atque motu: Harmoniam verò eſſe ordinem in ipſa vocũ per acutum & graue contemperantia. Quod ſæpe harmoniam dicimus, concentum Latinè propriè dicimus. Quod autem rythmũ, commodè numerum dicere poſſumus, modò intelligas numerum in tẽpore atq; motu notabis quæ in re vini cõſiſtat vtilitas, & qua cautione ſit bibendum, præſentibus videlicet conuiuio conditoribus legũ ſiue cuſtodibus, ſobriis quidẽ & mores bibẽtiũ obſeruãtibus corrigentibúſque. & tunc opportunè, quãdo per vinũ molliores facti fuerint, reformantibus. Cõcludit denique, ſi eiuſmodi cautionibus ciues in cõuiuiis vtantur mero, tanquam ad ea quæ dicta ſunt vtile concedendum: vſum verò eius ad ſuam cuiuſq; libidinem ciuibus ſuis procul arcendum. Quippe cùm ſacras Palladis arces, quæ antè omnia colendæ ſunt, impudentiſſimè pulſet.

DEINCEPS autem de his couſiderandum eſt, vtrum id ſolũ bonum habeant, vt perſpiciamus quomodo naturas habeamus, an magna etiam vtilitas multo ſtudio digna in vini potatione, ſi rectè fiat, inſit. Quid igitur dicimus? Ineſt vtique, vt ratio hæc inſinuare videtur. Vbi autem, & quomodo, attentè obſecro audiamus, ne ex ea re præpediamur. CLIN. Dic igitur. AT. Repetere itaq; memoria cupio quid rectam eſſe diſciplinam dicamus. Huius enim, vt in præſentia cõcio, eſt in hoc officio quando rectè inſtitutum eſt, ſalus. CLIN. Magnum dicis. ATHEN. Primum profectò puerorum ſenſum eſſe dico voluptatis atque doloris: atque hæc duo eſſe in quibus primùm virtus & vitium animo innaſcuntur. Beatus autem eſt, cui in ſenectute contigerit, vt ſapientiam veráſque opiniones aſſequi poſſit. Perfectus porrò vir eſt, qui hæc & quæ in his ſunt omnia poſſidet bona. Diſciplinam appello virtutem quæ primò pueris aduenit. Si voluptas, & amor dolórque & odium rectè in animos influant antequàm ratione moueantur, & ratione deinde pręſente, rationi conſentiant propter ſuperiorem bonorum mo-

Primus ſenſus puerorũ eſt voluptas & dolor.

Hæc ex Cicerone lib. de fin. 5.

rum mo-